

St. sch.
fledig!



6 Weismanni s. Christ. Eberh. iuste rationes
collectionis Canonice Scripturarum
Sacrarum contra modernas quasdam
objectiones vindicatae, tubingae
1737.

7 Specimen Magni Nichilii aucto
versij religiosis, tubingae 1739.

8 Diff de veritate divina fidei
Act expulsa, tamen usq; renovata
tubingae 1740.

9 Varia Sacra, tubingae 1738.

10 Renovata exceptiones contra
Divinam institutionem Baptismi et
3. Vero tubingae 1736.

11 Responsiones specialis ad Georgij
Bulli objectiones de justificatione
fidei, tubingae 1733.

29

Q. D. B. V!

TEXTVM EVANGELICVM

Dom. II. ADVENT.

ex Luc. XXI, 25. seq. coll. Matth. XXIV, 29. seq.

Marc. XLI, 24. seq.

DE

ADVENTV CHRISTI

VLTIMO

ACCIPIENDVM ESSE

PRAESIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO

SS. TH. DOCT. ET PROF. PVBL. TEMPLI OO. SS. PRAEPOSITO
ET SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSORE

*DOMINO, PATRONO, PRÆCEPTORE, STVDIORVM QVE SVORVM PROMOTORE
AD CINERES VSQUE COLENDO*

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

POSTR. ID. OCT. A. R. S. CI^o I^oCC XIV.

IDONEIS RATIONIBVS CONFIRMABIT

M. CASPAR IVLIVS WVNDERLICH
HAMBVRGENSIS.

EDITIO SECVNDA.

VITEMBERGAE, LITERIS GERBESIANIS.

o d a n
TEXTVM EVANGELICVM
Dom II Adiant
ex Tempore XXXVII. sed etiam Mense XXII. scilicet
Adventu. X. ad. V.
ADVENTA CHRISTI
ALTIIMO
ACCIPITURDAM esse
GOTTHF. AARNSDORFI
IN ACADEMIA ALTEMBERGENSI

QVOD TEXTVS EVANGEL. DOM. II. ADV.

DE

ADVENTV CHRISTI ULTIMO

SIT ACCIPIENDVS.

§. I.



alum retinendæ veritatis sponsorem
interpreteror, singularem novandi
omnia pruritum, quo multi nume-
ro doctores hodie laborant, dum
piscatoriam, ut prisci loquuntur,
simplicitatem fastidiunt, ingenio-
que suo indulgent, ac tum demum
veram, germanamque, Scripturæ
sententiam se assecutos putant, si veterum interpretatio-
nes tantum non omnes rejicant, in earumque locum a-
lias, speciosiores quidem nonnunquam, sed raro solidio-
res, aliquando & prodigiosas, sufficient. Nec enim Ma-
jores nostros usque adeo vel imperitos, vel negligentes
rerum, fuisse, putandum est, ut, in difficilioribus maxime
locis, veritatem ne divinando quidem assequi, aut ullara-
tione in eam penetrare, potuerint. Quin potius tanto
eos facilius objectas in explicatione Scripturæ difficulta-
tes superasse existimamus, quanto eos ambitioni, & studio
novandi, minus obnoxios, piæ vero simplicitatis, & san-
cta veritatis, magis studiosos fuisse, scimus. Sic enim
perswasum erat Veteribus, eas demum interpretationes
reliquis debere anteferri, non, quæ studio quæsitæ, aut

A 2

multo

4 QVOB TEXTUS EVANGEL. DOMIN. II. ADV.

multo labore erutæ, aut arte, ac industria, investigatæ
fuissent, sed potius, quæ pie meditantibus ad primum
quasi intuitum obtulissent se sponte, suaque se facilitate
omnibus approbassent. Quæ igitur cunctæ a receptis,
veteribusque, interpretationibus abeunt, illæ, ut ut quæ
dam ingenii, vel etiam probabilitatis specie blandiantur,
semper, si non pro explorato falsis, tamen pro suspectis,
haberi debent, quum vero minime simile videatur, ma-
iores nostros vel Scripturas negligentius tractare, vel se,
& alios, fallere, vel denique in erroribus colludere, vo-
luisse. Evidem scrutinium sacrarum literarum omni-
bus incumbere, perpetuumque illud, ac indefessum esse
oportere, nec nescio, nec dissimulo. Largior quoque,
veteres non ubique in explanandis Scripturis ita elabora-
re, ut nobis propterea liceat perpetuo feriari. Interim
nec adeo infelicitter in iisdem versatos fuisse putari debet,
ut nunquam in eorundem interpretationibus acquiesce-
re possimus. Quin eas recentiorum quorundam, in hoc
genere literarum, laboribus non solum pares, sed & alli-
quando meliores esse, asseverare non dubito. Timide
igitur, cauteque, ac non nisi tales ob causas, quas æquo,
rerumque perito judici nos probaturos esse confidimus,
ab illis est recedendum. Alioqui premere debemus ve-
stigia Veterum, & cavere, ne, quæ ab iis bene, ac provide
constituta sunt, nostra quadam vel imprudentia, vel in-
scitia, destruamus. Quodsi hæc illave Scripturæ inter-
pretatio saepè inculcata est a doctoribus, usque recepta,
ita ut plerorumque animis infederit, in iisque *invetera-*
verit; tum facile apparet, eam nec sine magno negotio,
nec sine præsenti periculo, rejici a quoquam, vel impug-
nari posse. Ægre enim ex animis hominum, & memo-
ria evelluntur, quibus iidem ab ipsis incunabulis
sunt imbuti, nec procul infirmorum offensione illa pos-
sunt

DE ADVENTU CHRISTI ULT. SIT ACCIPIENDUS. 5

sunt in dubium vocari, quæ tanquam indubitatae veritatis inde a tot, vel annis, vel seculis, hominibus sunt propinata. Non pauci etiam, ubi textuum interpretationes mutari, majorumque opiniones deseriri, audiunt, munditiae doctrinæ mutuere incipiunt, vel etiam, si forte ad stipulentur, de pluribus dubitandum sibi esse existimant. Quo pacto fieri non potest, quin omnis religio nostra populo sensim, paulatimque, suspecta fiat, quum ex eo, quod in quadam interpretatione, antea erratum fuisse, conceditur, in pluribus forsan peccatum fuisse, & adhuc peccari, non abs re inferatur. Quapropter maximopere vellem, ne unquam vel Kiloni, vel alias, recepta, & tot annorum usu firmata, *Pericopes Evangelicæ Domin. II. Adventus ex Luc. XXI, 25.* interpretatio, vocata in disceptationem fuisse, quum, quantis cum turbis, & infirmorum offensionibus illud sit conjungendum, non tam cogitatione præcipiam, quam usu, & experientia, discam. Uti enim ea ingenii humani conditio est, ut quotidiana, & longo usu protrita, maxime si sint simpliciora, fastidiat, nova vero subinde appetat, & si quæ se speciosa objiciant, avidissime prosequatur, & hauriat; ita simulac singularis quædam opinio affertur, talis præcipue, quæ *transmarinam* quandam *sapientiam* redolet, tum statim accurrunt, qui excipient, studioseque foveant, utut, quid in veteri receptaque desiderare jure possint, vix habeant. Et quoniam invicem non desunt, qui vetera propugnant, præsentemque doctrinæ faciem immutatam nolint, fieri non potest, quin oriantur inde certamina docentium, ac controversiae, quibus antiquæ veritatis tenaces supersedere non possunt, ut maxime velint. Ego saltem ad hoc institutum ab ripior potius, quam accedo, qui alio in arguento quoconque, quam in hoc ipso, elaborare mallem, nisi religioni mihi esset, amicorum voluntati deesse, vel

6 QVOD TEXTUS EVANGEL. DOMIN. II. ADV.

etiam veritatem hac in parte omnino indefensam relinquere.

§. II. Enimvero anniversarium textum illum, *ex Evangelio Luce cap. XXI, 25. seq.*, qui Dominica II. Adventus, ut vulgo loqui amamus, in cœtibus nostris recitari populo ubique solet, inde a Lutheri temporibus, & multis retro seculis, de ultimo Christi, ad judicandum vivos & mortuos, adventu, intellecūtum fuisse, id credo & meminiisse omnes, & prolixissime largiri. Hoc enim usque adeo verum est, ut *Origenes* scribat, *Ecclesiam Catholicam* (universam) *hunc textum cum aliis traditionibus, de adventu secundo suscepisse*. Si qui vero t. t. fuerunt, qui de intermedio, quam ultimo, accipere malent, hos idem ille *χαλκέντερος, simplicitatis* a), *Vulgarius, erroris, damnavit*. b) Unus inter Nostrates *Brentius*, interpres alioqui bonus, ac facilis, signa illa non diem extremi judicii, sed vastationem urbis Hierosolymæ, & excidium templi, præcessura esse, existimavit, sic tamen, ut non solum alios plerosque hunc textum de extremo judicio intellegere fateretur, sed & ipse nonnulla de eodem accipi oportere, contenderet. Unde &, illius qui vestigiis inhaerere voluerit, scio neminem, ne ex *Suevicis* quidem, aut *Württembergicis* Theologis, quos alioqui *Brentii* scripta, pro eo, ac par est, in pretio habere, ac admirari, sat constat. Quin & inter Reformatos ex antiquioribus *Calvinus, Beza, Piscator, Aretius, Tassanis, Tremellius, Junius, alii*; e recentioribus, *Joannes Marckius, c)* & alii, cum Lutherò hac in parte fecerunt. Pontificios autem tantum non omnes illam Pericopen de extremo judicio, & fine mundi accipere, est in propatulo.

§. III.

a) *Origen. T. II. OO. f. 140. ed. Basili.* b) *Theophylact. in Matth. f. 147. & in Luc. f. 705. ed. Parisi.* c) *Exerc. VII. in XXV. Loc. Scr. p. 190.*

§. III. Magno igitur docentium consensu textus ille cum in concionibus pro suggestu quotannis habitis, tum in commentationibus scriptis, ac editis, de extremo die, signisque illum antecessuris, ipsoque adeo fine mundi, huic dūm explicatus. Superiore demum seculo ad finem vergente, nonnulli apud *Reformatos* primum, hinc etiam apud *Nostrros*, qui sibi in explanandis Scripturæ Oracle multo, quam alii, acutius cernere videbantur, cœperunt eundem ad devastationem Judææ, & excidium Urbis Hierosolymorum, referre. Et quoniam opinio nova, illorum vero, qui eam propugnabant, nonnulla inter suos auctoritas erat, tempore procedente multorum se animis insinuavit, ita, ut, quæ temporum nostrorum est infelicitas, in Academia etiam non una, publice fuerit defensa, aliquibus vero etiam pro concione simplici plebeculae inculcata.

§. IV. Ac inter eos quidem, a nobis qui dissentunt, alii textum nostrum de adventu Christi particulari ad puniendos Judæos accipiunt, eundemque adeo *immediate, primario, & literaliter*, de novissimo die, & extremo judicio agere negant, per analogiam tamen ad utrumque accommodari posse concedunt. Alii ab hoc etiam *temperamento* se removent, textumque de intermedio quodam Christi ad judicandum Judæos adventu, & consummatione ævi, quod tum obtinebat, Mosaici, simpliciter accipiendum esse, cum *Königsmannu*, a) & aliis, contendunt. Alii denique totum hunc textum de adventu Christi ultimo ad judicandum vivos & mortuos, cum eoque connexo fine mundi, præeunte Lutherò, & præstantissimo quoque interprete, intelligi oportere, persuasum habent.

§. V. Etsi vero principio non sit, cur de diversis multorum

a) Vid. Disp. ejus de *Judicio Regis Christi adversus rebellem Ecclesiam Judæorum &c.* Kiloni d. 25. Nov. 1712.

8 QVOD TEXTUS EVANGEL. DOMIN. II. AD V.

rum opinionibus solliciti sumus, quam Christum potius, quod recte *Königsmannus* monet, quam homines hoc in argumento audire debeamus; omnibus tamen omnium rationibus recte, & procul odio, gratiaque, examinatis, ultimæ sententiae accedendum, totamque illam pericopem de fine mundi, ultimoque Christi, ad judicandum vivos & mortuos adventu, accipiendum esse invenimus.

§. VI. Ne vero quid præter rem afferre, ac temere statuere videamur, rationes, firmandæ sententiaæ idoneas, ac suffectorias, daturi sumus. Quas, quoniam a *textu, contextu, scopo, parallelismo, & analogia fidei*, omnium commodissime petemus, ad hæc singula respiciemus deinceps. Veruntamen & Scriptores sacros comparabimus mutuo, unique per alterum lucem accendemus, juxta monitum Augustini, a) qui scribit: *Ea, quæ apud tres Evangelistas, Matthæum, Marcum, & Lucam, hac de re similiter dicta sunt, inter se omnia conferantur. Quedam quippe alter obscurius, alter explicat planius: ut ea, quæ ad unam rem perientia dicuntur, appareat, unde dicantur.*

§. VII. Quo pacto etsi confirmationem veræ sententiaæ, cum vindicatione a cavillationibus dissentientium, quantum licet, perpetuo conjungemus, ea tamen, quæ commode inspergi non poterunt, & quandam probabilitatis speciem præseferunt, peculiari capite convellemus. Omnis igitur hujus argumenti tractatio dividenda erit in *partes duas*, in quarum *altera* veram sententiam allaturi, & confirmaturi, *altero* falsam confutaturi sumus. *Quibus* utrisque disputatis nos facile consecuturos speramus, ut omnibus pateat, hujus etiam in *textus interpretatione* plenam dari certitudinem posse, dummodo, quæ illi obtinendæ inserviunt, textuque insitæ sunt, rationes, ingenuosa quorundam contumacia non enerventur.

CAPVT

a) Lib. de Civ. D. XX. c. V. §. 4. p. m. 852.

CAPUT PRIMVM,

illudque κατασκευασινòv.

§. I. Plurimum vero receptam interpretationem tueretur consideratio scopi, quem tamen vix aliunde melius, quam ex occasione illorum, quae dicta sunt, cognoscemus. Responderat nempe mirantibus stru-
tas templi Servator: fore aliquando tempus, quo ne la-
pis quidem super lapide relinquatur. *Matth. XXIV, 2.* Id
dictum quo valeret, quum intelligeret nemo, ad Magi-
strum, in monte olivarum sedentem, privatim accede-
bant quatuor Viri, *Petrus, Joannes, Jacobus, & Andreas*, ro-
gantes eum: *Quando haec futura sunt, & quodnam signum est
adventus tui, & consummationis seculi?* l.c. *Marcus & Lucas*
brevis hanc in sententiam efferunt: *Quando haec erunt,
& quodnam est signum, quod haec omnia futura, & consum-
mata sunt?* Quo pacto uti ab Apostolis tria conjuncta fue-
rant in quaestione: *eversio templi, adventus Christi, & con-
summatio seculi*, eademque partim ratione præcedentium
signorum, partim ratione *sui*, spectata; sic eadem sibi per-
sequenda esse putavit Dominus in responsione.

§. II. Jam quaeritur: qualis προεστός, & adventus, in-
telligi debeat? Sunt, qui h.l. non ultimum, sed interme-
diū, non *universalem*, sed *particularem*, eundemque non
personalem, & *visibilem*, sed *realem*, ac *invisibilem*, intelligi
oportere, existiment. Etsi vero Apostolorum questioni
error ille aspersus esse videatur, quod Christus ad regnum
quoddam *visibile* condendum venturus sit, quum tamen
regnum ejus μετὰ παρατηρήσεως venire non debeat,
Luc. XVII, 20. unde & Dominus ad eorundem quaestio-
nem ita respondet, ut *visibilem* quidem adventum *refa-
re sibi* non neget, ceterum eundem, exercendi extremi
judicii, non, condendi alicujus regni externi gratia, e-

B

ven-

10 QVOD TEKTUS EVANGEL. DOMIN. II. ADV.

venturum, ipsum vero regnum, & ad regnum adventum, non *visibilem*, & *externum*, sed *spiritualem*, & *internum*, futurum esse, ostendat; negari tamen non potest, de *visibili* quodam Adventu & Apostolos *interrogasse*, & Dominum respondisse. Qui enim *Lucas* *visibilem* Christi adventum magis perspicue tradere potuisset, quam his verbis: *τότε ὄμοντας τὸν οὐκ τῇ ἀνθρώπῳ ἐρχόμενον ἐν νεφέλῃ*, c. XXI, 27? A quo non multum deflebit *Matthaeus*, quum hanc in sententiam scribit: *τότε φωνήσει τὸ σημεῖον τῇ οὐκ τῇ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ θεαντῷ*. Per *signum* enim *filiū hominis*, non ferale aliquod sidus, quod *Cometen* vocamus, sed ipsam *visibilem*, notabilemque Christi apparitionem, *seine leibhaftige, sichtbare, und scheinbarliche Gegenwart*, intelligi oportere, suo loco docebimus. Quid? quod ipsum *παρεγγίας* vocabulum, quo hic utitur *Matthaeus*, non nisi *visibilem adventum* significat, quotiescumque Christo Servatori tribuitur in Scripturis. 1. Cor. XV, 23. 1. Thess. III, 13. IV, 27. V, 23. 2. Thess. II, 1. II, 8. Iac. V, 7. 8. 2. Pet. III, 4. III, 12. 1. Jo. II, 28. Quum proinde duo Evangelistae, alter quidem perspicue, ac diserte, alter non obscure, *Filiū hominis visum iri in nubibus*, affirment, quo jure negari potest a quoquam, adventum ejus h. l. indigitari *visibilem*?

§. III. Jam porro & istud certum est, quod *nesciat* *Scriptura* *plures* *Christi* *Servatoris* *adventus* *visibles*, *preterquam* *in carnem*, & *ad judicium*. Quod denuo conceptis Scripturæ verbis ostendere potero. Sicut enim constitutum est, homini, ut semel moriatur, postea vero *judicium* subeat; ita & Christus *ἄπαξ*, *semel*, vel etiam *prima vice*, est oblatus, ut multorum peccata tolleret, *ἐν δευτέρᾳ*, *altera vice*, absque peccato, conspicietur iis, qui expectant illum ad salutem, Ebr. IX, 27. 28. Quod si *adventus*, Electis ad salutem cessurus, est *δευτέρος*, *adventus* *in carnem*, (in qua neci datus est 1. Petr. III, 17.) *πεντητος*, sponte sequitur,

tertium

tertium quendam, eumque inter primum ac ultimum interjectum, statuendum non esse. Ut enim inter hominis mortem, & ejus resuscitationem ad judicium, tertium quid h. l. intercalare non licet; ita nec inter adventum Servatoris ad mortem, & inter adventum Ejusdem ad judicium, tertium quendam interjicere fas est, nisi contradicere Apostolo, & hunc posteriorem Christi adventum, non δέυτερον, sed vel *tertium*, vel quartum, nominare vellemus. Quando igitur Christus Apostolis de signo παρστοῖς suae respondet, tum vel *primus*, vel *ultimus* adventus Servatoris *visibilis* est intelligendus. *Tertius* enim & intermedius non datur. Atqui non *primus*, quippe qui terminatus fuit, ad carnem, & jam tum praepterierat. Ergo *ultimus* ad judicium, non vero *tertius* quidam, & *intermedius*.

§.IV. Nonnulli circa formulam: συντέλεια τοῦ οἰκονος, qua de quæsierant Apostoli, tricantur, per eamque non finem hujus mundi, sed *consummationem ævi Mosaici*, quod Königsmanno a) persuasum est, intelligendum esse contendunt. Sed enim quis hoc non distortum, & valde dilatum esse sentiat, quum de *consummatione ævi Mosaici*, vel abolitione cultus Levitici, nunquam inter Christum, & Apostolos, actum, nunquam ab his quæsitus fuerit? Et quis illos de *tempore* abolendi cultus Mosaici multa rogatissime existimet, qui, antequam singularibus Spiritus S. doctibus imbuebantur, abolitionem ipsam vix sibi poterant persuadere? Comparentur loca *Luc. XXIV, 21. Act. I, 6.* *X, 14. 34. 45. XI, 3. 17. 18. XV, 5. Gal. II, 12. 13. Eph. III, 5. 6.* Nec dum vero ex Scripturis ostensum est, τὸν οἰκόνα, simpliciter, & absolute positum, *ævum Mosaicum* denotare. Scio equidem, *Hammondum*, *Lighthoofum*, & alios Rabbinicarum subtilitatum admiratores, ea in sententia esse, quod per

a) V. *Dissert.* cit. p. 5. & 6.

τὸν τὸν αἰώνα εῦνος Μοσαῖκον, per μέλλοντα, Messianum, in Scripturis intelligi, ex eoque fonte vera etiam loci Matth. XII, 32. interpretatio peti debeat. b) Sed enim i) nostro in loco apud Matthæum Cap. XXIV, comm. 3. nullum ab Apostolis additum est τὸν. Deinceps 2) obiectum τὸν συντελεῖον, vel id, quod finiri debet, Matthæo quidem, τὸν αἰώνος, Marco autem τὸν πόνων nomine, exprimitur. Qua formula τὸν πόνον significari in Scripturis ad Jo. I, 3. pridem observavit suis in Notis Grotius, ut adeo τὸν αἰώνος revera nihil aliud sit, quam interitus hujus universi. Neque vero, quod hanc significandi rationem alii cubi obtineant in Scripturis, omnino negare sustinet Hammondus, tantum hoc loco quod obtineat, id negat. Nos vero τὸν αἰώνος τὸν αἰώνα nunquam consummationem ævi Mosaici, sed semper finem mundi notare, perpetua exemplorum inductione probare possumus. Fidem facient loca Matth. XIII, 39. 40. 49. XXIX, 20. Ebr. IX, 26. Etsi enim hoc in postremo, per τὸν αἰώνος τὸν αἰώνα, Wittichius, Braunius, Königsmannus, c) & alii, illud solummodo tempus innui putent, quo Christus cruci affixus, & eoque Mosaico finis impostrus fuit, non est tamen, cur mutare sententiam debeamus, quum τὸν αἰώνος τὸν αἰώνα isto in loco τῷ καταβολῇ τὸν κόσμον perspicue opponatur. Ut ergo posterior hæc formula, omnium consensione, mundi principium; sic illa prior, vi oppositionis, finem ejus necessario significat, sub quem recte, meritoque, Christus mortuus esse dicitur, ut alioqui a tempore mortis multa præterlapsa sint secula. Vacula enim ἐπι suspendit quodammodo τὸν αἰώνον, moramque inter hanc, & mortem Servatoris, insinuat, summatimque id arguit, vergente iam ad finem mundo, nach der Welt Ende zu, vel gegen der Welt Ende, mortuum esse Christum, ut adeo, si quid judicare possum, τὸν αἰώνα voce,

b) Vid. Dallæus de satisfact. & pœnis, p. 71. c) l. c. p. 7.

voce, nec *perfectio temporis*, in quo vivimus, nec *brevitas ejus*, quod aliqui felix SS. literarum interpres, *Seb. Schmidius* opinatur, sed istud solummodo insinuetur, elapsis jam plerisque seculis, quibus durare mundus debeat, Christum pro nobis passum, mortuumque esse. Unde & hoc tempus Apostolo *finis seculorum*, *1. Cor. X, ii.* & *Joanni, novissima hora nominatur, 1. Ep. II, 18.* Sed nec 3) ratio suppetit, ob quam consummationem ævi Mosaici, ad *judicium in rebelles Judeos* exercitum, rejicere debeamus, quando eam Dominus ad *suum ipsius passionem*, ac mortem retulit. Quum enim ei, de cruce pendent, jam vide- rentur acta esse, atque transacta omnia, quæ ad reconciliandum genus humanum, placandumque Deum, & umbris, eo usque exhibitis, inducendum corpus spectabant, voce, qua poterat, altissima exclamavit: *τετέλεσαι, Jo. XIX, 30.* eademque audita, in continentri rupit *καταπέτασμα* in templo, quo diceretur, exspirasse cum Christo Legem Mosaicam: funus nunc apparandum esse Synagogæ Judaicæ. Quid igitur opus erat, *de signis consummationem hujus ævi antecessuris* multa interrogare, vel tradere, vel eandem ad *multos annos* rejicere, quam præ foribus esse, & intra proximum triduum eventuram, Servator non ignorabat? Velim autem & 4) istud mihi ostendatur hòc loco, quod *cessatio ævi Mosaici* cum urbis, tem- plique, ac gentis prope totius, interitu, necessario debuerit cohaerere, quando & olim, templo in ruderibus jacent, Judæisque in Babyloniam abductis, ævum perduravit Mosaicum, & Evangelium a Christo, & Apostolis, sa- penumero promulgatum fuit in templo, adeoque de- structionem ejus non exigit. Perseveramus igitur in sententia, h. l. per *συντέλειαν τῆς αἰώνος*, non cessationem ævi Mosaici, sed *finem hujus universi*, intelligi oportere. Neque vero periculum est, ne, si eversionem urbis ac

templi cum fine totius mundi conjunxisset Servator, hoc pacto discipuli eo in errore fuerint confirmati, quod infest
Domini dies. Quum enim templum Salomoneum sex-
centis annis steterit, & hodienum videamus arces, & æ-
des, multis abhinc seculis conditas, perdurare, quis du-
bitet, templum secundum haud ita pridem refectum, ac
tantum non denuo conditum, immanibus faxis super-
structum, incredibile studio, ac labore, compactum,
per decem, & amplius, secula, incolume manere potuisse?
Sane firmatatem incenium, ac robur templi, vastasque il-
las, & prægrandes oīnōδρως; non Apostoli solum, sed ipsi
quoque Romani mirati sunt, seque, nisi Deo auctore, &
adjutore, eadem nunquam expugnaturos fuisse, sponte,
ingenuique, sunt fassi. Ut adeo non sit, cur de A-
postolis, sua in quæstione deletionem urbis, ac templi,
cum fine hujus mundi copulantibus, suspicetur, eos
hunc ipsum imminere jam, ac præ foribus esse, temere
credidisse. Quin potius eos interitum templi, & fine
mundi propterea sua in quæstione conjunxisse puta-
mus, quod illum, nisi a Deo ipso, in fine mundi, templo
inferendum non esse, existimabant. *hi inserviant ior. c. 1*

§. V. Quibus quidem sic disputationis, nil opus est, pro di-
visione capitum in *Matthæo* responsionem quoque Serva-
toris dividere, eandemque ad quæstionis partes ita accom-
modare, ut caput *XXIV.* idque totum, de excidio urbis,
& templi, *XXV.* usque ad comma 30. de statu quodam re-
gni gratiæ his in terris mixto, & inter excidium urbis, &
interitum mundi interjecto, reliqua demum capititis, inde
a commate 30. usque ad finem, de adventu Domini ad ju-
dicium, judicioque ipso, intelligamus. Dum enim signa
in sole ac luna μετὰ τὴν Θλιψίην ἐνέιννυ, calamitatem nem-
pe, ac deletionem Hierosolymorum, eorundemque con-
culationem agentibus, demum eventura docet, hoc ipso
de

de prorsus alia re agere, adeoque ad *tertiam* quæstionis partem respondendo transire se velle aperit, quum ratio ipsa nos moneat, signa & portenta eventuum hos ipsos non subsequi, sed præcedere oportere. Neque vero mirum, Christum in respondendo ad istam quæstionis partem, de ultimo suo adventu, ejusdemque signis, multo, quam ad priores, studiosius, & prolixius, egisse. Norat enim hoc argumentum gravioris esse, quam prius illud de urbis excidio, momenti, & magis interesse piorum, ut de posteriore, quam de priore, solidius instituerentur. Hac eadem de causa non modo de signis adventus sollicite exponit, adventumque ipsum graviter describit; sed etiam ut quilibet salutis suæ cupidus ad eundem vigilando, jejunando, & orando, se præparet, fideliter inculcat. Quam pauci vero salutari monito parituri, veterum spiritualem excusfuri, precibus autem, sobrietati, ac temperantiae operam daturi sint, id Dominus apud Matthæum, cum ad calcem *Capitis XXIV.* tum ab initio *Capitis XXV.* non una sub imagine repræsentat. Nunc enim servi adversus sodalem, id est, hominis erga vitæ ac religionis solum, sævitiam, nunc temporis gratiæ supinum neglectum, nunc dotium divinitus concessarum contemptum, nunc denique inanem fidei sine charitate persvationem, graviter reprehendit, ac taxat. Quæ omnia, uti hominum ad Domini adventum præparationi, eorundemque saluti, adversa sunt; sic ab iisdem vitiis, non una parabola, retrahere omnes, & avocare studet, usque dum ad describendum ipsius judicii processum dilabatur, finemque responsioni suæ imponat. Quod si initium *Capitis vicesimi quinti* de statu quodam mixto in regno gratiæ accipere volumus, tum nobis vindendum est, ne in eodem januam gratiæ claudamus, termini autem peremptorii detestando dogmati eandem appetiamus. Hoc saltem facile apparet, quod, postquam

apud

16 QVOD TEXTUS EVANGEL. DOMIN. II. ADV.

apud Matthæum cap. XXIV. usque ad comma 29. de θλίψει
Judæis eventura exposuit, jam deinceps inde a commate
29. ad persequenda ea, quæ μετὰ τὴν θλίψιν illam secu-
tura erant, procedat, & ad tertiam questionis Apostolicae,
commate tertio propositæ, partem respondendo pergit, &
tum adventus sui signa, tum adventum ipsum, describat,
hominesque de præparatione ad illum adventum com-
moneat, in iis autem, quæ subsequuntur, usque ad Capit-
is Matthæi XXV. commat 30. non statum quendam homi-
num in regno gratiæ mixtum, sed quo in statu, sub initia-
lum regni gloriæ, dies ultimus, in eoque adveniens Filius
hominis, plerosque sit offensurus, somnolentos nimi-
rum, ebrios, dotium negligentes, suæque salutis incurios,
exponat. Ad extremum, antequam aliorum mea se di-
sputatio convertat, id mihi addere liceat, quod & a Divo
Gerhardo a) pridem observatum fuisse meini, e super-
rioribus scilicet constare, quod Apostoli perspicue de ad-
ventu Christi *visibili*, eodemque non modo ratione *sui*,
sed & ratione *signorum*, spectato, institui postularint, siqui-
dem περὶ τῆς σημείας τῆς παρεστοῖς quæsiverunt. Matth.
XXIV, 3. Jam nisi concedatur, Christum Matth. XXIV, 29.
Marc. XIII, 25. & Luc. XXI, 25. respondisse *de signis*, seque-
tur absolum illud, quod istam questionis partem respon-
dendo prorsus omiserit, quandoquidem Matth. XXV, 30.
sq. (quo uno in loco de extremo die, judicioque agi, dis-
sentientes largiuntur,) de *signis* utriusque nil legitur.
Quod uti Christo, accuratissimo, facilissimoque Magistro,
temere tribui non debet; sic velint, nolint, dissentientes
concedant, Matth. XXIV, 29. Luc. XXI, 25. de Adventu Chri-
sti ultimo, extremoque die, & utriusque *signis* disputari,
quod demonstrandum erat.

§. VI.

a) in Harm. f. 732. edit. Hamb.

§. VI. Alterum II.) petere argumentum possumus a *nexus* *bujus pericopes cum antecedentibus*, quoniam loquitur de rebus obfessionem, expugnationem, ac desolationem Urbis Hierosolymorum infecuturis, quod e Matthæi Cap. XXIV. patet. Prædictit enim abominationem desolationis stante in loco sancto, v. 25. necessitatem fugiendi e Judæa, v. 26. calamitates prægnantibus eventuras, v. 29. de-nique cædem promiscuam, servitutem, dispersionem inter gentes, & Urbis profanationem, *Luc. XXI. c. 24.* Post hanc vero calamitatem omnem tum demum apparebit signum filii hominis *Matth. XXIV, c. 29.30.* Quis ergo arbitretur, Servatorem hic voluisse ταυτολογεῖν, & unam eandemque rem, uno & eodem tempore, non modo semel atque iterum docere, sed & priorem perspicuitatem nescio quibus verborum integumentis, & schematibus, involvere? Quin potius, ob verborum nexus, sic argumentamur:

Q. adventus Christi obfessionem, expugnationem, & desolationem U. Hierosolymorum est infecurus, ille non potest esse Christi ad judicium adversus rebellem Judæorum Ecclesiam adventus. In obfessione enim, expugnatione, & desolatione U. Hierosolymorum completus fuit Christi judicis adversus rebellem Judæorum Ecclesiam adventus. Quicquid ergo ipsammet obfessionem, expugnationem, ac desolationem demum infecutum fuit, ad judicium ipsum Christi regis referri non potest. *Atqui vero adventus, quo de agitur apud Matth. XXIV, 30. Marc. XIII, 26. Luc. XXI, 27. obfessionem, expugnationem & desolationem U. Hierosolymorum infecurus erat:* De his enim omnibus jam expofuerat Dominus præcedentibus commatibus 15. 16. 19. seq. Unde apud Matthæum v. 29. & 30. conceptis verbis dicitur: NB μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκέινων, -- NB τότε Φωνήσεται τὸ σημέρον, NB post afflictionem dierum illorum, --

C

NB

NB tunc demum apparet signum Filii hominis. &c.
Quæ verba tantum non eadem *Marcus* repetit l. c. v. 26. 27.
quum ait: μετὰ τὸν θλίψιν ἐκένην, τότε ὄφοντα &c. sic,
ut uterque, exerto velut indice, eam ipsam calamitatem,
qua de ante, verbis & pluribus, & copiosis, exposuerat
Servator, monstrare, ac respicere videatur. Quid igitur
restat, quam, ut e verborum, cominatumque nexu, forti-
ter inferamus: *Adventum Christi ad judicium adversus rebel-
lem Iudeorum Ecclesiam hac in pericope intelligi non posse.*

§. VII. Jam porro III) illo de adventu, & ejus de ad-
ventus signis, prodigiisque, agit h. l. *Christus*, qui dispersio-
nem Iudeorum captorum, inter omnes gentes, & conculca-
tionem U. Hierosolymorum a gentibus, ac denique πλήρωσιν και-
ρὸν τῶν ἔθνῶν, seu complementum temporis, successivæ gen-
tium ad Deum adductioni destinatai, subsequi debet. Diserte
enim Lucas, ἀποστολα sibi non immerito vindicans, hoc
Cap. XXI, c. 23. 24. Erit, inquit, angustia magna super ter-
ram, & ira super populum hunc, & cadent acie gladii, &
captivi ducentur in omnes gentes, & NB *Jerusalem cal-
cabitur a gentibus*, donec impleantur tempora gentium.
Calcabitur, partim *metaphorice*, subjugando illam, & pro-
fanando: partim *realiter*, & *physice*, possidendo, & inhabi-
tando, ut *Jac. Tirinus* a) non male explicat. Græcum enim
πάτησεται utrumque aliquando involvere, pridem ad
Homerum Euathius observavit. Docet igitur Dominus,
eversas Hierosolymas & possidendas, & profanandas, &
contemptim habendas esse, a gentibus, Arabibus, Turcis,
Saracenis, usque dum illorum tempora impleantur. b)
Sive autem πεντηκός τῶν ἔθνῶν intelligamus ea, quibus
vicissim dominari eadem Hierosolymis debuerunt, quæ
Tirini c) sententia est; sive illa, quæ gentibus ad Ecclesiam
addu-

a) ad *Luc. XXI, 24. f. 1002.* b) conf. Müller *Judaismus* pag. 1114.
c) vid. l. c.

adducendis, divinitus sunt destinata, quod *Beda* a) per-
fusatum est; seu illa, quibus IV. summa gentium imperia
durare debent, quod *alii* opinantur; sufficit *ad horum us-
que finem*, i. e. ad finem usque mundi, ut *Menochius*. b) ex-
ponit, Hierosolymas calcandas esse a gentibus. Venit
enim super eos desolatio usque ad finem, *Dan. IX. 27.* &
ira Dei, εἰς τέλος, c) i. e. non usque ad excidium Urbis, &
Templi, ut cavillantur nonnulli, quum ira etiamnum du-
ret, & graviter se ostendat, sed *usque ad interitum bujus
universi*. Nihilo minus μετὰ τὴν Θλίψιν ἐνέπνυ, post hanc
calamitatem, (quæ verba e Matthæo & Marco, necessario
hic repetenda sunt,) eam nempe, quæ dispersionem ca-
ptorum Judæorum per omnes gentes, & conculca-
tionem Hierosolymorum a gentibus, includebat, evenient
signa in sole ac luna, καὶ τότε, & tunc videbunt Filium
hominis in nubibus. *Luc. XXI. 29.* Unde sic infero:

*Quamdiu duratura est præsens dispersio Judeorum, & con-
culatio Hierosolymorum, & tempus successivæ conversionis
gentium, tamdiu ille adventus, quo de nostra in Pericope agitur,
non est eventurus: idque ideo, quia, post hæc omnia, signa
demum adventus, cum adventu ipso, eventura esse di-
cuntur. Atqui præsens Judeorum dispersio, & conculatio
Hierosolymorum &c. durabit usque ad finem mundi: Saltem
multo, quam Reipublicæ Judaicæ, ac religionis eversio
evenit, longius duravit. E.*

*§. VIII. Loquitur IV) de signis, & adventu, Θλίψιν,
a Pseudo-Chris̄tis, & Pseudoprophētis, expectandam, insecuritatis.
Non enim dicit, quod statim obtenebrandum sit cœ-
lum, sed statim post tribulationem dierum illorum sol
obscurabitur, i. e. post quādā afflictionib⁹ defuncta fuerit
Ecclesia, ut loquitur *Calvinus* d). Afflictio autem dierum
C 2 illorum*

a) Comment. ad *Luc. XXI.* b) In Comment. ad *Luc. XXI.* f. 150.

c) i. Theſſ. II. 16. d) In *Harmōn.* ad h. l.

illorum non de sola Judææ vastatione, & excidio Hierosolymorum, est intelligenda, utut hæc non excludantur, sed potius hac formula omnes antea recensitæ, prædictæque, calamitates comprehenduntur, adeoque Dominus de omnibus illis diebus, intra quos Pseudo-Christi, & Pseudo-Prophetæ surrecturi, Ecclesiamque vexaturi sunt, loquitur, quos quidem usque ad interitum hujus universi duraturos esse, procul difficultate ostendit poterit e Scripturis, in quibus magno consensu traditur, ἐν ὑσέροις καιροῖς, 1. Tim. IV, 1. seq. ἐν ἐχόταις ἡμέραις, 2. Tim. III, 1. seq. ἐπ' ἐχάτων καιροῖς, 2. Pet. III, 3. ἐν ἐχάτῳ χρίνῳ, i. e. tempore Novi Testamenti, quod Scriptura sigillatim postremum nominare solet, quia inde a Messia exaltatione nulla debet nova revelatio expectari, ut Franzius a) ex Ebr. 1, 1. interpretatur, surrecturos esse ubique locorum, etiam inter Christianos, falsos doctores, seu Prophetas. Argumentor igitur denuo:

Q. adventus, cum signis suis, demum post dies illos, quibus Ecclesia Dei a Pseudo-Christis, & Pseudo-Prophetis, est afflenda, secuturus est: ille per vastationem Judææ, & abolitionem Reip. Judaicæ, non potuit evenisse.

Atqui Adventus, de quo Lucas c. XXI, 25. sq. exponit, dies illos, quibus a Pseudo-Prophetis affligetur Ecclesia, demum sequetur, quod constat comitatibus 21. 23. 24. sq. cum 29. sq. apud Mauthæum, nec non comm. 19. 20. 22. cum c. 24. seq. apud Marcum, collatis. Ergo per vastationem Judææ non potuit evenisse.

§. IX. Urgenus V.) *Explicationes verborum nativæ, ac sponte oblatae, tantum non semper anteferrri oportere vel extortis, vel saltē studio quæsiis, multaque arte, ac industria eru- tis. Quó enim quæque ratio interpretandi simplicior est,*

a) De Interp. S. S. Orac. XXX. p. m. 340. Conf. L. Ofland. in Bibl. ad h. I.

est, & facilior, hoc etiam verior, & solidior esse solet, quum
e contrario videamus, interpretationes quorundam ali-
quando artis, & ingenii multum, veritatis, & soliditatis
parum, praestare. Tanta quippe Scriptura perspicuitas
est, ut vel $\alpha\pi\circ\tau\delta\beta\epsilon\phi\epsilon\zeta$ cognosci, & puerum instituere
ad salutem poscit. 2. Tim. III, 15. Quæ ipsa vero ea potis-
simum ratione se exerit, quod sententias & veritates suas
legentibus, & audientibus, facile insinuat, suaviterque
propinat, & offert, ita ut simplicissimus quisque, dummo-
do animum advertat ad intelligendum, præcipuis saltem
in locis, iis asequendis sufficiat. Quin & finis Scripturæ
Sacrae id postulat, ut explicationes nativæ arte ac studio
quesitis anteferantur, quod per illas multorum imbecilli-
tati consulitur, qui alioqui, si arte, ac ingenio nihil non
metiendum esset, a legendō ac meditando deterrerentur.
Facile autem apparet, omnem illam textus nostri expli-
cationem, qua sibi tantopere placent, qui res novas
amant, non *nativam*, sed *affectionatam*, non *spontaneam*, sed
coactam, non denique *a verbis oblatam*, sed *in verba intru-
sam*, esse, quum per eandem, si non omnia, certe extan-
tiora vocabula nativo significatu priventur, & formulæ
tantum non omnes mirifice torqueantur, hac una de cau-
sa, ne vanitas interpretationis nimium quantum transpa-
reat, sed ei potius color aliquis, utut mediocris, inducatur.
Quid enim frigidius est, quam *Solis* nomine Pontificatum
maximum, cum potestate Ecclesiastica, *Lune*, Rempubli-
cam Judaicam cum ritibus suis, *stellarum*, doctores reli-
quos intelligere, ut Lightfoot^{a)}, & Koenigsmann^{b)}, persua-
sum est? Quid coactus, quam visionem signi Filii hominis,
ipsiusque Filii, de *perceptione mentali* accipere? Quid de-
nique indignius, quam *Φεύγοντι judiciale* stare coram Chri-
sto, ejusque tribunali, sic enervare, ut tandem nihil am-
plius,

C 3

a) Lightfoot. T. II. QQ. f. 367. b) I. c. §. 9. p. 22.

plius, quam bonum sistendi hominis statum, & conditio-
nem, intrepidamque conscientiam, ubi calamitates ingru-
unt, involvere videatur? Ut ergo hæc longe petita, &
studio quæsita, & singulari artificio picta, coacta denique
omnia, & contorta sunt, sicutiisdem nativa, plana, simplicia,
longissime anteponenda esse censemus.

§. X. Non parum VI) confirmandæ receptæ inter-
pretationi inservit per vulgatus Canon: *a proprietate ver-
borum procul evidente, & urgente necessitate non esse receden-
dum.* Quem ipsum sibi opponendum esse, quum facile
posset mente præcipere Kœnigsmannus, id sibi negotii da-
tum esse creditit, ejus ut auctoritatem effugeret. Ridet
igitur omnes, & empæctarum hujus seculi more, exagitat,
eum sibi qui opponere ausint. *Obstrepent nobis,* inquit,
*statim, qui ultra Metaphysicam Scholasticorum, & communes re-
centiorum libellos,* (quo Piétistico scomitate Compéndia, &
Systemata notat,) *non sapiunt, non esse a litera discedendum.*
*Ita quidem novi præcipere Hermenevtas: sed & hoc adjicere
nemini: nisi urgeat necessitas.* Hæc autem in Prophetis sepius
tanta deprehenditur, quando futura denuntiant, symbolicis
verbis, quæ Prophetarum propria esse, antiquis Ecclesiæ nostræ
Theologis nota res est, ut tum regula sit interpretandi: *a litera
esse discedendum.* Mox adjectis ex Jes. XI, 6. & LXV, 25.
exemplis, discere postulat, *si in his admitterent allegoriam,*
*cur non alibi quoque agnoscerent, ubi similis sit ratio, & cur
iropos Biblicos adeo contemnant?* a) Ego vero mirari satis
non possum, quod, qui omnes a se dissentientes ultra
Metaphysicam Scholasticorum, & compendia recentio-
rum, non sapere arbitratur, tantum ex arte ratiocinandi
nondum addidicit, *a particulari ad universale non oportere
concludi.* Recte quidem Glassius b) docet, quando Pro-
phetæ futura symbolicis verbis denuntiant, tum regulam
inter-

a) Vid. Dissert. cit. §. 8. p. 18. b) L. I. Phil. S. tr. IV, fest. I.

interpretandi esse: *a litera est recedendum.* Sed enim qua exemplorum inductione confirmatum dabit, Prophetas, quoties futura denuntiant, toties symbolicis verbis, troppoque affectis, uti? Jesaias Tyro, *Capite XXXIII.* & Judææ toti, c. *XXXIV.* exitium, prolixo quidem sermone, sed procul figura & scheme, prædixit. Jeremias Civibus suis interitum c. *V.* Jechoniac Regi c. *XXXVI.* pessima quæque, Hananiæ denique mortem ipsam, procul ambagibus, & verborum integumentis, denuntiavit. Et o quam multa *Daniel* *toto Cap. XI.* cecinit ut vates, verbis tamen usque adeo non symbolicis, aut involutis, ut etiam *Porphyrio* post Antiochi Epiphanis tempora scripsisse demum, a) Hieronymo autem non tam *futura dixisse*, quam *preterita narrasse* fuerit visus. b) Sic Paulus 2. *Theff. II, 3. 4. seq.* i. *Tim. III, 1. sq.* Petrus 2. *Ep. II, 1. sq.* III, 3. *sq.* de futuris, etiam explicatissimo genere sermonis, tradunt. Servator ipse, quod mox accuratius persequemur, quoties de iis, quæ Urbi Hierosolymorum eventura essent, exposuit, a verbis symbolicis & figurato sermone abstinuit. Quare si Scripturas majori evolvisset cura Dissentiens, procul dubio deprehendisset, Prophetas, quando futura denuntiant, minime omnium verbis symbolicis *perpetuo usos esse*, adeoque contemptum troporum Biblicorum haberet non oportere, si vel maxime in explicandis Prophetiis *a litera* non recedatur.

At, inquires, tum verba omnino figurata accipienda sunt, si proprie intellecta in dogmata fidei, ac pietatis vere ac palam, impingant. Jam dicat mihi aliquis, anne in dogmata religionis incurrat hæc Christi prophetia, prout ab iis proprie exponitur, nisi distorquent temere voces, & contextum. c) Itane vero in fidei

ac

a) Vid. B. D. Bayeri Disp. de Vatic. per ignorant. Jenæ 1695. b) Hieron. in proem. Comment. in Dan. T. IV. OO. f. 405. c) Koenigsmann. I. c. p. 19.

ac pietatis dogmata impingit textus nostri secundum literam interpretatio? Ergo igitur *Lutherus* ipse, *Melanchthon*, *Hunnius*, *Gerhardus*, *Calevius*, denique nostratis Ecclesiæ Doctores tantum non, præter *Brentium*, omnes, doctrinam, juxta & pietatem, læserunt, quoniam textum, quo de controvertitur, secundum literam intelligendum esse putarunt. Et, quia eundem, etiam pro suggestu, huc dum quotannis eandem in sententiam explicatum fuisse constat, sequitur, quotannis & integritatem doctrinæ, & pietatem ipsam læsam a docentibus fuisse. Discere autem hoc loco a dissentiente velim, quodnam illud sit vel fidei, vel pietatis caput, in quod verba nostra, proprie intellecta, impingant? Num, ait, *adventus Christi ad judicium extremum*, statim post destructionem Hierosolymæ contigii? Num Apostoli huic supervixerunt? num gens Judaica tum vivens, cum hec loqueretur Christus, ad eum usque superstes fuit? num denique Apostoli, vel alii homines, effugere possunt ista omnia, que de hoc iudicio prædixerat Jesus? Nugæ, quibus sane pasci Ecclesia non debet, ut ad pietatem erudiatur. Praeclara profectio demonstratio. Nam si vel maxime largiamur, haec omnia falso, & procul fundamento statui: numne idcirco vel doctrina laedetur, vel pietas? Multa procul dubio in Historia, multa in Mathezi, multa in reliquis humanæ sapientiæ partibus, traduntur, quæ non solum otiosa sunt aliquando, sed & plane falsa, quibus tamen neminem vel a sanitate doctrinæ, vel sanctitate morum, retrahi opinamus. Finge hominem, qui Symbolum Apostolicum, ab ipsis Apostolis conditum, Athanasianum, ab ipso Athanasio profectum, credat, qui Donationem Constantini M., qui generationem æquivocam, aliaque id genus, statuat: falsum procul dubio statuet, sed quibus nec doctrinam salutarem, nec pietatem, laedi existimet. Imo quam multi ab interpretibus, etiam ὡροδοξοτάτοις, in explicandis Scripturæ

Scripturæ locis committuntur errores, quibus tamen eos in aliquod vel doctrinæ, vel pietatis, caput impegiſſe, non dixerim, quum dentur errores etiam simplices, quos pro hæresibus, aut vitiis etiam, reputasse, est nefas. Quid igitur affirmat dissentiens, *in dogmata religionis incurrere hanc Christi Prophetiam, si proprie exponatur?* Numne enim in religionem incurrit, statuere, quod Christi ad ultimum iudicium adventus post everſionem Reipubl. Judaicæ, & Urbis Hierosolymorum, sit expectandus? Quod Apostoli de quibusdam adventus illius signis a Servatore edocet fuerint? Quod gens Judaica usque ad interitum hujus universi, in orbe ſuperfutura sit? Quod Apostoli, & sub Apostolorum persona omnes, nullo non tempore ad excipiendum hilari vultu Judicem paratos esse, sunt moniti? Hæc nimirum omnia in religionem incurrere, ac pietati adverſa esse, putat dissentiens. Quod autem ipſe voces ſingulas, totumque contextum diſtorquet, ac lacerat: quod Servatorem ταυτολογίας, καὶ ὀμεθοδέας, tacite accusat, eundemque verba *facilia*, & *plana*, cum *symbolicis*, & *emblematicis* mutasse statuit: quod ubique a litera, nulla urgente neceſſitate, diſcedit: quod adventum Christi adverſus Judæos, adeoque everſionem Hierosolymorum poſt conculationem eorum a gentibus collocat: quod Filium hominis, Servatorem nostrum, diem ſui adverſus Judæos adventus nesciviffe credit: quod eundem hunc adventum omnibus Palæstinam incolentibus, laquei inſtar, ſuperveniffe ſcribit, quod admōnitionem ad preces, & vigiliam, omnibus hominibus datam, ad ſolos Apostolos reſtrigit, quod formulas loquendi prægnantes turpiter enervat, quod denique totam de extremo iudicio, & fine mundi doctrinam, quantum in ſe eſt, corrumpit, eandemque de ſede quaſi ſua deturbare,

ac dejicere, nititur, id vero salva cum religione, tum pietate, fieri a se posse existimat.

Pergit: *Dicat mihi deinde aliquis: anne evidenter ex hoc, aliisque locis, pariter demonstretur tropus, si doceatur, quod Christus a vaticinatione de Iudaico excidio nondum discesserit ad rem aliam? quod res tum brevi expectandas prædixerit, & iisdem quidem loquendi modis, quibus & Prophetæ Vet. Testamenti rem eandem expressere.*

Sed enim, quis sibi patiatur persvaderi, Christum vaticinationem de excidio Hierosolymorum, uno eodemque tempore, & apud eosdem, semel iterumque repetere, &c, postquam verbis propriis, & perspicuis, commatibus 18. 19. sq. explicatissime tradidit, eandem denuo verbis dubiis, incertisque, ac emblematicis, reddere voluisse? Non nulli mirifice sibi placent, quod Soli, Lunæ, Stellis, quod Cœlo, quod nubibus cœli, tropicas significationes tribuere possunt. At quam præposterum id artificium sit, nemo non videt. Sol Ecclesiam, Luna Rempublicam, Ccelum ipsis Judeam notat; terræ nomine, non Orbis terrarum, sed Palestina, venit. Quid autem hoc est aliud, quam cœlum terræ miscere, & ἐπανύψει τὴν γῆν, pro iisdem habere, quæ duo tamen h. l. sibi perspicue opponuntur? Signa enim dicuntur apparitura in cœlo, &c, propter eorum apparitionem, homines trepidare in terra. Ex ipso igitur textu figuratus sermo non modo non detegi, sed & revelli potest. Unde & Clericus ipse, a) ingenio alioqui suo nimium indulgens, negare non potest, proprium horum verborum sensum ultimum judicium respicere, & nonnulla mundi ipsis consummationem apius describere, videri. Quin & Hammondus b) Solem, ac Lunam proprie accipi posse, non diffitetur.

Sed

a) ad Matth. c. XXIV, 30. ap. Hammondum. T. I. b) Hammondus
T. I. p. 195. & T. II. f. 464.

Sed nec τὰ παιδίλλα figuratum sermonem arguunt. Quin potius iisdem prope formulis, quibus adventum Christi ultimum ad judicium, vel solus Petrus 2. Ep. III, 10. describit, describit quoque nostra in Pericope, suis cum Collegis, Lucas. Petrus ccelos πολὺδύ, & cum resonante ruptura, transituros scribit: Lucas virtutes celorum mouendas esse docet. Petrus elementa æstu solutum iri: Lucas mare æstuaturum esse prædictit. Petrus terram, & quæ in ea sint opera, exurenda esse affirmat: Lucas eundo per partes, Solem & Lunam obtenebratum iri, & in utroque prodigia eventura esse, denuntiat. Denique, quod impri- mis notandum est, Petrus venturum esse Dominum scribit, sicut fur venit in nocte: iisdem vero verbis, hunc quoque, de quo controvertitur, adventum, insinuat Servator Mauth. c. XXIV, 43. Sicut igitur ex eo, quod aliqua hujus vel illius Psalmi verba in N. T. accommodantur ad Chri- stum, recte infertur, totum illum, e quo petita sunt, Psalmum intelligendum esse de Christo; sic etiam ex eo, quod verba Servatoris: Mauth. XXIV, 43. Veniet Filius hominis sicut fur in nocte, Petrus manifesto ad doctrinam de ultimo ejus ad judicium adventu, accommodat, merito concluditur, totum illum textum apud Matthæum isto de adventu accipi oportere.

At, instat, si literaliter intelligi volunt, quid de aliis dicent, quos tanquam vera & sincera doctrina tenacissimos doctores suscipiunt? quid de Brentio, & Franzio, qui maximam partem de misero Iudeorum, de Hoeo, & Majo, qui de Christianorum sub Anti-Christo Romano statu, metaphorice hæc verba intelligi volunt?

Respondeamus primo: auctoritates auctoritatibus, illisque duumviris, Brentio, & Franzio, sexcentos alios opponi posse. Deinde Brentius, & Franzius, non omnino, sed qua partem aliquam, hunc textum tropice intelligendum esse existimant, satente Kænigsmanno. Hoeus nihil definit,

D 2 sed

sed omnia in medio relinquit. *Majus*, qua religione tractare soleat SS. literas, *petitionis quartæ in Oratione Dominica turpissima detorsione*, aperuit. Quam, solidissimis a rationibus rejectam, postquam non argumentis, sed *duabus famosis libellis*, defendere studuit, omnem tuin piæ veritatis, tum veræ pietatis opinionem, apud Bonos, & rerum non imperitos, decoxit. Hujus igitur interpretationibus parum, aut nihil, tribuo. Veruntamen, *si erroneum est*, inquit, *a litera discedere*, *quid de veteribus, juxta & recentioribus, dicent, qui de judicio extremo hæc capiunt verba, & tamen ipsi quoque mystice exponunt*. Respondemus: Distinguere dissentiens debebat inter *legitimam textus interpretationem*, & *qualemcumque illius accommodationem*. Qui mystice textum controversum exponunt, hi literam minime deserunt, sed potius literalem sensum jam erutum mystico *fundamenii* loco substernunt, & solummodo mystice illum tractando, quam varie erutus sensus literalis accommodari, & nunc huic, nunc illi usui inservire possit, ostendunt, eoque ipso literam non esse deserendam nos admonent.

§. XI. Repugnat VII) mori, ac instituto Servatoris, *in familiari cum Apostolis colloquio verbis figuratis, ac symbolicis, usum esse*. In sermonibus quidem ad populum habitis fere adhibebat parabolas, & sine parabolis vix loquebatur ad eum: *καὶ ἦλεν vero πάντα ἐπέλυσε* discipulis *Marci IV, 34.* h. e. parabolas evolvit, vinculis expedivit, planiore sermone reddidit. Hinc Philologus ad Elmum *H. Hardius* a) non male: *Coram Iudeis*, inquit, *Christus implice dicere sivevit, tecle sub figurarum umbris, parabolis usus, & enigmatibus, oratione arguta, velut ligata: Verum privatim, apud discipulos, misit illa, abstinuit ab omnibus istis, explicite & plane, atque perspicue differuit, sermone usus familiari, a figuris*

a) p. 34. Praefat. in Luth. Comment. in totam S. S.

figuris libero &c. Res ipsa etiam, & Scribarum divinorum historia ostendit, quod Servator suis cum discipulis collocutus privatim, maxime vero de re quadam subdifficili, & ardua, interrogatus, plano, proprio, simplicique sermonis genere sit usus. Jam, quum Christus ea, quæ apud alios, publice, sed per parabolæ, & ἐν αἰνίγμασι, dixerat, privatim exposuerit discipulis, & iis, quæ aliquid in recessu habere videbantur, suas veluti glossas, & commentationes adjecerit, & quid e.g. per *semen, agrum, zizania, triticum, peiram, senes*, alia, intelligi debeat, aperuerit, quis credat, eo ipso tempore, quo privatim ad Eundem adibant, & quæstiones arduas afferebant, seque institui postulabant quatuor discipuli, non modo verbis figuratis, ac symbolicis, uti, sed & difficilibus difficiliora superaddere voluisse? Recte denuo Philologus laudatus: a) *In privatis colloquiis Christus enigmata omnia diffuslavit, intermisit, se posuit, non adhibuit: aperte, & dilucide, omnia pronuntiavit, quæ dixit.* -- & *in privatis discursibus se posuit, liquit, misit grandiores tales figuræ. &c.* Quod si vero facere cum dissentientibus volumus, tum in privatis, & familiaribus cum discipulis colloquiis non solum figurato, implicito, ac involuto, sed & multo, quam apud populum, difficile, ac sublimiore, dicendi genere, usus est Servator, quod tamen ejus ab ingenio, & more, ac instituto, perpetuo alienum est.

S. XII. Imo vero VIII) inductione exemplorum ostendi potest, quod *Christus*, quotiescumque sigillatim devaluationem *Judææ, deletionem Urbis & templi, ac eversonem totius reipublicæ Judaicæ prædictis, toties rem omnem plano simplicique sermone edisseruerit.* In Scripturis equidem legimus, Servatorem nostrum, nec semel vaticinatum fuisse, nec semel Urbi Hierosolymorum, ac genti Judaicæ, ulti-

ma denuntiasse. Denuntiavit Hierichunte, in domo Zacchaei *Luc. XIX, 28.* in monte Oliveti, cum proxime abesset ab Urbe, *I. c. c. 42.* in templo, *Matth. XXII, 7. XXIII, 37.* denuo sedens in monte Oliveti, e regione templi, *Matth. XXIV, 6. sq.* Semper autem plano, simplicique sermone denuntians est usus, eo procul dubio consilio, quo tanto facilius ab omnibus intelligeretur. Deus enim, pro admiranda bonitate sua, quo certius imminent, quo proprius absunt, calamitates, hoc planius, hoc disertius, easdem denuntiare solet. Dilucida imprimis est *Lucæ* narratio *Cap. XIX, c. 41, 42, 43, 44,* quum ait: *Ut appropinquit Jesus, videns civitatem, slevit super illa, dicens: Si cognovissem & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent, curares: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & cingent te, & coangustabunt te undique. Et solo æquabunt te, & filios tuos, qui in te sunt: & non relinquunt in te lapidem super lapide: eo, quod non cognoveris tempus vestigationis tue. Quid planius, quid simplicius, dici a Jesu potuisset? quem tamen h. l. *vaticinatum fuisse*, negent dissentientes, si possunt. Numne vero credibile est, Servatorem id ipsum, quod coram multitudine, auscultante præcedentium & insequentium caterva, plane, ac propalam, dixerat, *privatum, & apud suos, obscurare denuo, & nescio quibus symbolis, involvere, crucemque immerentibus figere, voluisse?**

§. XIII. Denique si IX) *ad singularium vocum, & formalium explicationem* descendere fas est, parum abfuerit, quin pro earum prope numero elicere ex iisdem argumenta queamus. Loquitur enim

1) *de adventu cum συνοχῇ τὸν ἐθνῶν, in terris conjungendo:* loquitur de ἐπερχομένοις τῇ οἰκουμένῃ, seu iis, quæ super ventura sint orbi habitato, apud *Lucam Cap. XXI, 25. 26.*

Quis

Quis vero ausit dicere, calamitatem Judæorum in Palæstina, & Syria, ad omnes promiscue gentes redundasse, vel, oppressis bello Israelitis, totum terrarum Orbem usque adeo afflictum fuisse, ut homines, quo se vertere debeant, ignorarint? Non desunt, quibus pervasum sit, errari ab interpretibus in eo, quod per τὸν γῆν die Erde, vel totum terrarum orbem, intelligent, quum tamen intelligere debeant, das Land, regionem scilicet Palæstinam, quæ non raro τῆς γῆς, vel etiam τῆς οἰκουμένης, nomine veniat in Scripturis. Quod posterius utut non diffitear, nego tamen, nostro in textu hæc verba hoc significatu accipi posse, propterea, quod non solum τὰ ἔθνη, numero multitudinis, τὴν γῆν tribuantur h. l. sed & eadem dicuntur, habitare super facie, πάσῃς τῆς γῆς c. 27. & 35. quod utrumque vereor, ut ad unam Judeam commode possit applicari. Neque etiam est, cur quis ad Lucae Cap. XXI, comma 35. se recipiat, cum in hoc non, e terra profugere, sed futura effugere, jubeamus. Quo ipso autem non excidium Urbis, vel calamitates Judæis imminentes, sed anxietatem cordis ob adventum Judicis, metum rigorosi examinis, gravissimi supplicii, aliaque id genus, respicere Dominum, hinc patet, quod eidem intrepidam coram filio hominis consistentiam, & lætæ sententiae expectationem, opponit.

Kanigsmannus hac in disputatione nonnullam liberalitatem ostentat, & dicit: *Etsi terra non raro Cananæam, & gentes speciatim denotent Judeos, in πολλὰ ἔθνη, καὶ μεγάλα, diversos, & tempore Christi per Judeam, Galilæam, Iuteram, & Abylenen, dispersos: nolle tamen se amplitudinem vocum citra necessitatem restringere.* Id innui a Luca, tantam fore afflictionem Judæorum, ut nullum sit habitura exemplum par. Hinc terram, qua patet, pervasuram fuisse Tragici hujus famam exempli, & ad omnes nationes peruenturam &c. Mihi vero interpretem, qui equidem à restrictione sibi tempe-

temperat, interim tamen extendendo peccat. Numne enim e devastatione Judææ, ac eversione Reipublicæ Judaicæ, tales συνοχὴν capere poterant omnes gentes, qualem experiuntur, qui vel æstu febrili jaclati buc illuc se provolvunt, (quam vocis hujus vim esse Dissentiens docet,) vel qui carcere tenentur conclusi, vel arcta obſidione cinguntur? Annon quod Hierosolymis, & Judeorum reipublicæ evenit, haud ita multo ante Carthagini, & Carthaginem imperio, evenerat? ob cujus tamen eversionem gentes omnes in terra trepidasse adeo non legimus, ut etiam ab eo tempore numero plurimas nationes, & vel ipsos aliquando servos, duce Sparaco, Romanis rebellasse, deprehendamus. Quis Scythas, Slavos, Sarmatas, Germanos, Celtas, extremosque Indos, t. t. vel inaudisse quidquam de Hierosolymis deletis, vel, si audiverunt, tantam συνοχὴν, quanta hoc loco, fatente Kænigsmanno, innuitur, concepisse dicat? Συνοχὴ isthac oritura erat non e sensu præsentium, aut fama præteriorum, vel consideratione tragicæ in Judæos statuti exempli, ut dissentiens opinatur, sed NB ἀπὸ Φόβου, καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων, e metu & expectatione futurorum, ut loquitur Lucas comm. 23. Judæos autem tantum abest metu imminentis belli, excidiique, συνοχὴν aliquam persensisse, vel exanimatos concidisse, ut etiam illatum jam a Romanis bellum fortissime exceperint, ac omnem tantum non calamitatum humanarum sensum exuerint. Adhæc Romanæ gentis imperium tam late patebat tum temporis, ut vel in ipsa Scriptura S. τῆς οἰνοφλέγμης nomine veniat Luc. II, 1. Quis vero gentes imperio illi subiectas, quarum etiam non pauca adversus Judæos, & Hierosolymas, arma tulerunt, utpote Syri, Arabes, Ægyptii, Phœnices, Itali, Hispani, Græci, eam ad rem trepidasse, vel ex eadem horribilem συνοχὴν concepisse putet, cuius ipsi,

ipli, suo quodam modo, autores erant? Imo vero certae nationes ob excidium U. Hieros. & eversionem Reip. Judaicæ usque adeo non defecerunt animis, ut etiam sumpserint hinc ansam, passim insurgendi in Iudeos, eosdemque superbius tractandi. Quod quidem *Antiochenos* in Syria, & alios etiam, fecisse, *Josephus* testis est, a) qui, *confecto bello Judaico*, *odium adversus eos apud omnes in nervum prorupisse*, scribit. Trepidarunt igitur *Judei inter omnes gentes*: gentes omnes ipsæ non trepidarunt tum temporis: tum vero trepidabunt omnes, quando signa evenire in Sole ac Luna, & sibi severissimum judicem, huic universo finem, imminere, intelligent.

§. XIV. Loquitur Dominus 2) de adventu suo in nubibus, eodemque visibili, dicendo: Καὶ τότε ὄφονται τὸν υἱὸν τὸς αὐτῶν πέρι οὐχίουν εὐ νεφέλη μετὰ δυνάμεως, καὶ δόξης πολλῆς, *Luc. XXI, 27*. Quibus quidem verbis describi ultimum Christi ad judicandum vivos & mortuos adventum, num diffiteri quis poterit? Eadem enim proximum adhibet Servator *Matth. XXV, 31*, quum ait: "Οταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τῶν αὐτῶν πέρι οὐχίου, καὶ πάντες οἱ ἄγιοι ἀγγελοι μετ' αὐτῷ, τότε καθίσει ἐπὶ θρόνῳ δόξης αὐτῷ &c. quem locum de extremo judicio, Christique, ad id instituendum, adventu, intelligi oportere, ipse dissentiens largitur. Cave obvertas: Non quidem *visibilem*, nisi per effecta, sed *efficacem* adventum inveni: *Asperabilem* e verbis Christi, propheticō stylo conceptis, extorqueri vix posse. *Videre enim apud Prophetas idem esse*, quod ex indicio aliquo, in visum incurrente, mente quid concipere, h. e. *persentiscere*. Dici ergo: *Visuros esse Iudeos*, sed modo ei economiæ temporis con-

E venien-

a) *De B. Jud. L. VII. c. 21. f. 973.* καθ' ὃν παιδὸν ὁ πόλεμος ἀνακήρυκτο, τὸ κατὰ τῶν Ιudeών NB περὶ πᾶσιν ἡμερᾶς μῆτος.

veniente, h. e. ultorem experturos Filium hominis. *Vifuros esse oculis non corporis, sed mentis, nec sedentem solum vifuros esse, sed & venientem in nubibus &c.* At vero a) supra ostensum fuit, a proprietate verborum temere discedendum non esse. Perspicue autem h. l. dicit Dominus: *tōte διφορτου, tunc videbunt Filium hominis.* Deinceps b) Christum Servatorem etiam tum, quum ageret Prophetam, sigillatum, quum Hierosolymis extrema denuntiaret, stylo Prophetico, i. e. symbolico, ac figurato, non semper usum esse, pariter e superioribus jam constat. Porro c) adventus Christi *in nubibus*, stylo Novi fœderis, ultimum, *vifibilemque*, Christi adventum notat. Tum vero d), si Solis ac Lune defectus interitum Pontificatus summi, & Reip. Judaicæ, significant, quod Dissentiens affirmat, quî poterit hoc loco adventus Domini ad judicium contra rebelles Judæos intelligi, quum utriusque, & Pontificatus, & Reipublicæ interitus, judicium illud fecutus, vel certe cum eodem connexus, fuerit, hoc autem loco defectus Solis & Lunæ adventui ipsi manifesto anteponantur, quoniam signa erunt in Sole, ac Luna, *uia tōte, & tunc videbunt Filium hominis?* *Luc. XXI, 27.* Sequeretur hoc modo, Judæos non ante persensisse, & expertos fuisse ultorem Filium hominis, quam Sol & Luna defecissent, i. e. Pontificatus maximus, & tota Respublica exspirassent, quod est absurdum. Denique e) si *videre* h. l. id est, quod *persenscere*, ac *experiri*, qui dici poterit, Judæos eum jam expertos esse ultorem, *qui, advenire se velle ad ulciscendum, signis, ac prodigiis, solummodo indicabat?*

§. XV. Eo de adventu 3) h. l. sermo est, post quem *Dominus mittet angelos suos, & congregabit electos suos, a quatuor ventis, a summo cœlorum, usque ad serminum eorum.* Hæc enim verba prædictionem signorum, & apparitionem

nem

nem Filii hominis, sequuntur apud *Matth. Cap. XXIV, 31.*
 Quae quidem uti secundum literam, de collectione salvando-
 rum, per angelos, in extremo die, accipienda esse putamus;
 sic alii, ne quid proprie dictum huic textui relinquant,
 diversimode accipiunt. Quidam intelligunt de mirabili
Christianorum, qui vixerant inter Judæos, συνάζει, & ab in-
 teritu communi præservatione, ac ea sigillatim, qua fideles
 Christi servi evocati migrarint una in oppidum *Pellam*,
 Decapoleos urbem, trans Jordanem, *Eusebio* teste a). Sed
 enim primo *Eusebius* l. c. Christianos non e tota Judæa
 coactos, sed solum, qui eo usque Hierosolymis habitabant,
 urbe excessisse, & Pellam migrasse scribit. Parum deinde
 abest, quin hic *Eusebii* auctoritatem in dubium vocem,
 quum *Josephus* doceat, b) Pellam ab *Alexandro Janneo*, Prin-
 cipe Judæorum, non ita multo ante, quam nasceretur
 Servator, solo æquatam, orta vero ultima Judæorum se-
 ditione, denuo ab his, cum *Scythopoli*, eversam fuisse, ut adeo
 nullum Christianis perfugium præbare potuerit. c)
 Maxime omnium reclamat amplitudo collectionis, siqui-
 dem congregandi electi dicuntur ἐν τεσσάρων ἀνέμοι,
 ἀπ' ὅπου ὥστε, ἔως ἀκεων αὐτῶν, quæ quidem verba
 collectionem piorum e toto terrarum orbe arguere,
 vix poterit negari.

Nec est, quod quis obvertere velit: *hæc cum relatione*
ad præcedentem γῆν dicta esse, quæ sicut de regione Judææ in-
telligenda sit; ita hanc quoque amplitudinem terræ ad omnia
eius clima, vel quaqua pateat, adstrictam, intelligi oportere.
 Hoc enim pacto incertum per aequum incertum probatur,
 quum h. l. per τὴν γῆν non unam Judææ provinciam,
 sed totum terrarum orbem, intelligendam esse, suo jam
 loco evictum sit. Obstat etiam formulæ, quam Christus

a) *H.E. L. III. c. 5.* b) *Antiqu. Jud. L. XIII. c. 33, f. m. 462.* c) *de B. Jud. L. II. 19. f. 813.*

adhibuit, momentum, quod tantum est, ut restrictionem ad solas Judææ partes non patiatur. Utut enim forte alicubi της γῆς nomine *sola Judæa* veniat, nullo tamen exemplo poterit ostendi, eandem solam, vel *cælorum*, vel *cæli & terræ*, nomine in Scripturis indigitari, quum tamen electos *a finibus cælorum*, Matthæus, *a finibus cæli usque ad fines terræ*, Marcus, colligendos esse ostendant. Quod ceteroquin ex Epiphanio a) affertur ab angelo prius in somnis monitos, χρηματισθέντας πόντας τὰς μαθητὰς, urbe excessisse, eruditum quidem, nec tamen sententiae nostræ convellendæ idoneum, est. Nimium enim quantum a se invicem differunt, *electos ab angelis ex omnibus terrarum partibus colligendos, &c., pios omnes per angelos in somnis, ut fugerent, monitos fuissent*.

Alii, & in his Kœnigsmannus, b) Lightfoot, c) pro more, auctoritatem secutus, de *Apostolis* intelligit, *concione sua electos e quatuor orbis partibus convocaturis*. Qua vero detorsione nihil concipi frigidius, aut coactius, potuisset. Etsi enim 1) ἀγγελοί, καὶ ἀπόστολοι, vi vocis, coincidant, placuit tamen Domino, duodecim, quos elegerat, non ἀγγέλος, sed ἀπόστολος, nominare, *Luce VI, 13.* Quibus etiam hunc titulum eo usque proprium esse voluit, ut aliquando in Scripturis Sacerdotes, Episcopos, & Presbyteros, *Angelorum* venire nomine legamus, Apostolos venire, non legamus. 2) Quia Filius hominis h. l. primum venisse, deinceps demum angelos suos misisse legitur, se queretur, Christum demum NB post everisionem Urbis Hieros. & Reip. Judaicæ ablegasse ad concionandum Apostolos. Quod falsum esse, actus Apostolici, & Pauli cum primis testimonium, ostendunt, qui, superstite se, ac vivo, *prædicatum esse Evangelium omni creature, quæ sub cælo est,* testa-

a) Conf. Dn. D. Zeltneri Disp. de Signo Fili hom. §. XXXV. p. 26.
b) I. c. §. 13. p. 36. c) Lightfoot. T. II. OO. f. 367.

testatur, *Col. I, 23.* Quem tamen, antequam Gens Flavia, quæ Judæos subegit, & Hierosolymas delevit, rerum potiretur, capitis supplicio affectum fuisse, veteres testantur. Nec obstat, quod *Matth. XXII, 9. 10.* servi quidam, etiam post interfectos latrones, i. e. Judæos, missi ab Herod dicuntur, qui alios invitarent ad nuptias. Hoc enim solummodo innuitur, regnum domini primum Judæis, postea vero, quam hi rejecerant, gentibus offerendum fuisse. Quod posterius quum ad hoc usque tempus evenire videamus, quid mirum, in parabola dici, etiam post interfectos latrones servos allegatos fuisse ad hospites invitandos? Sed quid in his deducendis prolixus sum, quum 3) locus παράληπτος *Matth. XIII, 48.* rem prorsus conficiat. *Mittet*, inquit, *Filius hominis angelos suos, & colligent e regno illius omnia offendicula,* i. e. scandalizantes, quod e sequentibus patet, siquidem τὸ καὶ h. l. non est mere copulativum, sed εἰγνυγτικόν, ut *Io. X, 13.* unde additur, & eos, qui patravit iniquitates. Si quæras, quo tempore, aut quo sub adventu, illud futurum sit? respondet ipse Dominus, comitate praecedente 40. ἐν τῷ συντελεῖσθαι αὐτῷ τῷ τελείῳ, in consummatione seculi hujus. Unde sic infero: *Quo tempore Deus mittit angelos suos, & colliget e regno suo omnia scandala, & eos, qui patravit iniquitates, mittitque in caminum ignis, (in infernum,) eodem tempore mittit angelos suos ad colligendos electos a quatuor ventis, & ab uno vertice cali ad alterum, quia, ut reprobi electis, & injusti justis, perpetuo opponuntur; sic quo tempore angeli mittentur, & colligent injustos, ac reprobos, eosdem velut e latibulis protrahendo, cogendo, ad judicem adducendo, ad inferos detrudendo; eodem quoque tempore mittentur, & colligent electos, eosdem convocando, ad Christum adducendo, in spem præsentissimam vitæ æternæ erigendo, denique ut sanctos Dei manipulos in illa Domini*

messe asservando. Unde & *comm. 42.* reprobis ploratus, ac stridor dentium, in camino ignis; justis autem splendor, Solari similis, in regno Patris *comm. 43.* denuntiatur. *Jam vero Dominus mittet angelos suos ad colligenda scandalata,* vel homines scandalosos, εν τῇ συντελείᾳ τῆς αἰώνος τέττα, c. 41. id est, *in fine mundi.* Nec enim quenquam usque adeo absurdum fore crediderim, ut cavillari velit, hanc formulam non de *consummatione seculi*, sed *sine aevi Mosaii*, intelligi oportere, quoniam alioqui sequeretur, messem, de qua loquitur Dominus, fuisse excidium U. Hierosolymorum, & devastationem Judææ: Apostolos significari per Angelos, eosdemque collegisse t. t. omnes homines improbos, & coegisse, intra Urbem Hierosolymorum, ut in eadem torquerentur, velut in camino ignis, aliaque id genus. Invicta igitur argumentandi ratione concludo: *Non ante, quam εν τῇ συντελείᾳ τῆς αἰώνος τέττα,* seu sine hujus universi, mittendos esse angelos, ad colligendos electos, a quatuor ventis, & ab uno summo caelo ad alterum, adeoque collectionem illam sub excidium U. H. vel Christi Regis aduersus rebelles Judæos adventum, quod Dissentiens putat, non evenisse. Addo 4) quod Dominus *Matt. XXIV, 31.* dicit, mittendos esse Angelos μετὰ σάλπιγγος Φωνῆς μεγάλης, cum tuba magni clangoris. Quod equidem non de prædicatione Evangelii, sed tuba ultima, qua excitandi sunt mortui, intelligi oportere, Apostolus docet i. *Cor. XV, 52.* & i. *Theff. IV, 16.* Utut enim Evangelii promulgatio aliquando nominetur Φθόγγος, ut *Rom. X, 18.* vel etiam Φωνὴ τῶν περιφητῶν, *Ach. XIII, 27.* aut Φωνὴ μεγάλη *Apos. XIV, 7.* nullibi tamen in scripturis, quod meminerim, nominatur σάλπιγξ Φωνῆς μεγάλης, quippe quæ non hominibus, sed angelis, seu creatus quis sit, seu increatus, semper tribuitur. Quoniam igitur Matthæus talibus de angelis loquitur, qui μετὰ σάλ-

σάλπιγγος Φωνῆς μεγάλης mittendi sint, recte infero, non Apostolos, eorundemque vocem, qua Evangelium promulgarint, sed bonos illos spiritus, quos angelos cum Scriptura nominare solemus, hoc loco intelligi, quippe qui, iussu Filii Dei, magno cum clangore pertubam edito, apparituri, & imperata facturi sunt.

§. XVI. Eo de Adventu 4) loquitur Dominus, *quomodo cum ἀπολύτρωσις ab omni malo conjuncta est.* Dicit enim: *His incipientibus fieri, suspicite, & attollite capita vestra, quoniam appropinquat ἀπολύτρωσις, liberatio vestra. Luc. XXI, 28.* Quae verba H. Grotii oculos eo usque perstrinxerunt, ut subjecerit: *Nunc judicium universale, ἀπολύτρωσιν nostram continens, explanante edifferit.* a) Varie quidem in Scriptura vocabulum ἀπολύτρωσις sumitur. Aliquando notat redemptionem acquiritam, seu liberationem a jure praetento Diaboli, ut Matth. XX, 28. Ehr. IX, 12. aliquando redemptionem jam applicatam, seu actualem a tyrannide Diaboli, & reatu, dominioque peccati, in justificatione, ac renovatione, liberationem, ut Luc. I, 74. II, 3. Col. I, 13. Aliquando futuram piorum ab omni miseria, etiam nomine peccati, liberationem, ut Rom. VIII, 23. 1. Cor. I, 30. Königsmannus per ἀπολύτρωσιν h. l. intelligit partim beneficium Dei, quo Apostoli non solum *horribiles calamitates Iudeis divinitus immisssas, evaserint, sed vita quoque æterna hereditatem adire potuerint:* partim illud, quod *integer Christianorum cætus, per subactionem Judæorum in Palæstina, & alias, ab horum injuriis, & impetuosis vexationibus fuerit vindicatus.* Sed quis non videat, aliud esse imminentes quidem, sed nondum toleratas, Judæorum calamitates evadere, aliud a calamitatibus jam incumbentibus, liberari. De posteriori, non priori, loquitur hic Servator.
z. Brenius ipse, cuius ad auctoritatem alioqui se recipit

Dissen-

a) in not. ad Matth.

Dissentiens, ex parte saltem, *de consecutione beatitudinis* accipit, eoque ipso receptae interpretationi accedit. 3. Qui dici potest, Apostolos tum demum, quum Dominus jam in procinctu esset, castigandi Judæos, jamque signa in Sole & Luna evenissent, i. e. ut Dissentiens interpretatur, Pontificatus Maximus, & Respublica Judaica eversa essent, imminentes Judæis calamitates evadere debuisse, qui pridem in universum terrarum orbem digressi, tempestive iis subtracci fuerant? 4. Quod ad reliquum Christianorum cœtum attinet, falsum est, eum per hunc ipsum Christi adversus Judæos adventum, a Judæorum injuriis, & vexationibus liberatum fuisse. Etsi enim hi suarum, in Christum & Christianos, injuriarum, acerbissimas pœnas dederunt, iis tamen nihilo vel meliores, vel mitiores effecti sunt. Trajano enim imperante in *Ægypto*, circa *Cyrenen*, ducenta hominum millia, in iisque multos Christianos acerbissimis suppliciorum generibus sustulerunt. a) Non ita multo post horribili seditione excitata, duce *Bar-Cocheba*, non modo adversus Romanos arma sumpserunt, verum etiam Christianos, nisi Christum negarent, atrocissimis suppliciis damnarunt. b) Quum Julianus, rerum potitus, freна eorundem libidini laxasset, cædibus, & incendiis, in Christianos, eorundemque per Palæstinam templa, grassati sunt. c) Sub initium seculi quinti, *Alexandria*, noctu, templum urbis primarium ardere, vociferati sunt, accurentibus vero ad restingendum Christianis, cædem eorundem promiscuam ediderunt. d) Imperante Justiniano, *Cœsareæ*, irruerunt in Christianos, multisque interfectis, & templis incensis, ipsum Civitatis praefectum neci dederunt. e) Seculo ineunte

a) Xiphilinus in *Dione*. & Hulsius in *Theol. Jud.* p. 414. b) Justinus in *Orat. ad Antonium Imp.* f. m. 72. c) Ambrosius Epist. 28. d) *Hulf. de Theol. Jud.* p. 415. e) Baron. ad A. C. §§. n. 19.

ineunte septimo, *Antiocheni*, horribili excitato tumultu, cives numero plurimos interfecerunt, domos incendebant, ipsum Sacrorum in Urbe Antisitem, Anastasium, trucidarunt. a) Saporem quoque Regem Persarum, crudelissimum tyranum, in Christianos concitarunt. b) Denique *Iustinus* queritur, quod Judaei Christianis multo sint infensissimi, c) &, quoties possint, necem inferant. d) Idem *Socrates*, e) & *Sozomenus*, confirmant, quorum posterior *Iεδωίς μισθιστόνδως ἔχει πρὸς τὰς χριστιανὶς, docet. f) Quis igitur per U. Hierosolymorum excidium, & vastationem Judaeæ, ἀπολύτεωσι quandam Christianis evenisse existimet? Demus autem, s. illum per adventum Apostolos, omnesque Christianos a Judaeorum vexationibus liberatos fuisse: quantillæ, quaeso, res gratiae fuisset, Apostolis, & Christianis, liberationem ab *Judeorum insultibus* promittere, & nihilominus eosdem sub vexationibus gentilium, multo gravioribus, relinquere? Haccine ἀπολύτεωσι tanti ponderis, momentique fuisset, ut eam propter suspicere Apostoli, & capita attolle re debuissent? Intelligitur ergo ἀπολύτεωσι plena, & numeris omnibus absoluta, cuiusmodi *Chrysostomo* g) dicitur *καθαρὰ*, quæ tum dabitur, ὅταν μήτε αμαρτηματα ἦ, μήτε ἀνθεώπινα, μήτε ἀναιμίξ μετὰ πάντων ὁμον, quando neque peccata fuerint, neque afflictiones, & infirmitates humanae, neque promisea fuerimus cum omnibus, etiam impiis. Hæc est illa, quam Paulus ἀπολύτεωσι περιποίησον nominat, *Eph. I. 4.* vel quæ spectat ad illos, quorum est περιποίησις, vel quæ coniuncta est cum possessione hæreditatis, aut fruitione vitæ æternæ. h) Hæc cum*

F

signis

a) Auctoř hist. miscellæ L. XVII. n. 7. b) Sozom. L. V. H. E. c. 22.

c) l. c. d) In Dial. cum Tryph. Jud. f. 234. e) H. E. L. VII. c. 13.

f) H. E. L. V. 22. g) Serm. II. in Cap. I. ad Epheſ. h) Vid. Dn. D.

Sonntag I Schedia Parallelograph, ad Pericop. Evang. p. 13.

42 QVOD TEXTUS EVANGEL. DOMIN. II. ADV.

signis in Sole, ac Luna, & adventu Christi visibili cohæbit: hæc collectionem electorum ex omnibus terræ plagis sequetur: hæc denique tantam est paritura lætiam, quanta in deductione piorum ad gloriam est expectanda.

S. XVII. Tali de adventu loquitur, 5) quem æstati simile regnum Dei *Luc. XXI, 30. 31. sū excepturum*. Ideo enim petit similitudinem a sicu, quæ ubi gemmas protrudit, æstatem adesse indicat. Sic etiam his incipientibus fieri, tum præsto erit regnum Dei, æstati simile futurum. Hoc autem aliud, quam gloriæ regnum, esse non potest, quippe quod cum æstate ratione non una conferri potest. Ut enim 1) æstas naturalis tempestates, molestias, & injurias *hyemis*; sic regnum gloriæ, & felicitas æterna calamitates, & miseras, hujus *temporis*, excipit. 2) Ut in æstate per messores *colliguntur fruges*; sic ineunte gloriæ regno colliguntur ab angelis *electi*. Ut 3) per æstatem omnia personant laudibus & hymnis; sic in regno gloriæ Numen a Ccelitibus perpetuis carminibus celebratur, & piis, festisque gaudiis omnia resonant. Alius igitur, quam *ultimus* Christi ad judicandum omnes homines adventus, intelligi a Servatore non potest, quippe qui solus tali cum æstate cohæret.

Allusionem vocabulorum יְהִי & יְהֹוָה, quorum illud æstatem, hoc *finem*, Ebrais notat, quam interpretationi sue præexit *Kœnigsmannus*, a) non improbo, dummodo illud mihi pace illius adjicere liceat, finem non *Oeconomicæ Mosaicae*, quod ei persvasum est, sed *finem rerum omnium*, & cum liberatione ab omni malo *conjunctionam*, intelligi oportere. Esto, Patres nonnullos hanc de sicu similitudinem ad statum Judaicum transtulisse. Nihil hoc nostræ opinioni nocere potest. Aliud enim est, sensum

a) in *Dissert. cit. §. 14. p. 39.*

sensum literalem eruere, aliud, erutum huic, vel illi, argumento accommodare. Dummodo, qui a nobis dissentunt, rectam, insitamque verbis, sententiam nobis relinquenter, de accommodatione illius arbitraria nollemus cum quoquam temere concertare. At hoc est ipsum, quod doleo, *Königsmannum*, studio pingendæ, ac incrustandæ sententiæ, loca tantum non omnia, quibus de fine hujus universi, ac ultimo die, agitur, quæque huicdum, magno interpretum consensu, de iisdem accepta sunt, ad finem ævi Mosaici, & diem excidii Hierosolymitani, transferre. Hac enim via si procedere licet, persvasissimum habeo, posse nobis totum doctrinæ Christianæ caput, quod *de novissimis* inscribitur, eripi, quum istæ si adhibeantur fidiculae, nihil facilius sit, quam illum quoque, quem prope unicum nobis relinquit naturientium audacia, locum *Matth. XXV, 30. seq.* ad finem Oeconomiae Mosaice trahere, adeoque, ob defecatum probationis e Scriptura, quicquid de resurrectione mortuorum, extremo judicio, & fine mundi, huc dum nostrate in Ecclesia traditur, in dubium vocare.

§. XVIII. Eo de adventu Dominus agit, qui 6) *cum cœli, terræque, transitu cohæribit*. Cœlum enim, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, dicit *Luc. XXI, 33*. *Königsmannus* torquet more suo hæc verba, & p. 43 ita interpretatur: *Interibit Ecclesia Iudeorum & politia, ac novum erit cœlum, & nova terra. Jes. LXV, 17. LXVI, 22.* Nimirum ne quis nobis locus ad ostendendum hujus universi interitum, facile relinquatur. Dabo autem tantisper, significari h. l. Ecclesiae, ac politiæ Judaicæ interitum. Hoc unum, quoniam cœlo, & terræ præteritis, novum cœlum, & nova terra, ejus pro sententia, succedit, discere hic velim, quænam illa sit nova politia, & novus reipublicæ Judaicæ status, isque melior, quam

prior fuit, qui in locum veteris, & ejus, quæ transferit, terræ, locum successerit? Aut, si politia respectu Christianorum intelligi debet, ostendatur, oro, quænam Respublica, aut quodnam Imperium novum, post terræ veteris, i.e. politiæ Judaicæ, transitum, conditum sit a Christianis, quos equidem, post excidium U.H. in politia fuisse, nunquam vero peculiarèm politiam, vel rem publicam, constituisse scimus. Et quo pudore audet Dissidentes loca *Jesaiæ LXV, 17. & LXVI, 22.* in quibus *de novo cælo, & nova terra*, agitur, non de regno gloriæ, sed gratie, interpretari? Annon hoc est in faciem contradicere Petrum, vel potius Spiritui veritatis, per Apostolum loquenti, qui, postquam *2. Ep. c. III*, inde a *c. 45. sq.* usque ad *12.* de ultimo Christi adventu, & interitu hujus universi, prolixè, ac graviter, exposuerat, tandem *Jesaiæ* verba repetit, dicendo: *Expectamus autem cælos novos, & novam terram*, juxta promissum ejus, (sc. apud Jesaiam l.c.) in quibus *justitia habitabit*: Quo ipso aperit, novum cælum, & novam terram, non de *meliore* quodam *Ecclesiæ*, vel *Reipubl. statu*, sed *meliore beatorum cælitum mansione*, ipsoque regno gloriæ, intelligi oportere. Alioqui enim, nec illud *ἐπιφάνης* prædictioni de fine mundi subjici, vel etiam Petrus ipse *expectare* se, quod jam aderat, dicere potuisset. Argumentor igitur hanc in sententiam:

Q. advenius cum transiū cœli & terre connexus est, ille, per hucum disperata, non est intermedius, ad quoddam particolare contra Judeos, sed universale, judicium, adventus.

*Atqui adventus, quo de Dominus *Luc. XXI, 27.* loquitur, cum transiū cœli, ac terre connexus est. E.*

*§. XIX. Eo de adventu loquitur Dominus, cuius 7 diem, & horam, ne *Filius* quidem, sed *situs Pater, novit.* Eam quippe in sententiam *Mattheus*, juxta & *Marcus*, scribunt: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt:**

bunt: Ceterum *de die illa, deque hora illa, nemo novit*, neque angeli in celo, ac ne Filius quidem, sed solus Pater, *Matth. XXIV, 36. & Marc. XIII, 32.* Hoc autem nullo modo, de adventu Christi adjudicium contra Judaeos, accipi potest, id quod ne ipse quidem *Hammondus* omnino diffitetur. Loquitur enim 1) Dominus de adventu *intra diem, & horam*, expectando. Quod sicut in ultimum ejus adventum apprime; sic in adventum ad judicandum Judaeos, plane non quadrat. Cum enim adventus hic per Romanorum in Iudeam irruptionem, bellumque mox secutum, evenerit, quod utrumque per sat longum temporis intervallum, & paratum, & gestum fuit, quis illi, quem sic nominat Dissentiens, adventui, unam, vel *diem, vel horam*, assignare ausit? Deinceps 2) quum Dominus, quoties interitum Hierosolymorum praedixit, praedixit autem saepius, eundem non *longe*, sed *proxime abesse* insinuarit, quis credat, diem ejus, & tempus, eundem ignorasse? Porro 3) *dies, & bora*, vel *proprie*, vel *improprie* h. l. sumuntur. Si stricte ac *proprie* capiantur; tum de vastatione Iudeæ, & excidio U. H. ut modo fuit ostensum, dici vix poterunt, quod haec vix intra triennium, & amplius, evenere: Si *laxe*, & *improprie*, pro certo quodam temporis intervallo; tum nego, illud ignoratum a Salvatore fuisse, quia illud satis clare praedixit *Matth. XXIV, 15. sq.* Quid? quod 4) ipse Dissentiens contendit, verba Christi: *non præteribit haec ætas, usque dum haec omnia fiant*; de ætate hominum, ita intelligi oportere, ut haec sententia emergat: *intra quinquaginta annos, & antequam omnes hi moriantur, qui assunt, evenient ea, que denuntio vobis.* Quod si Dominus intra 50. annos eventura esse norat, quæ dixerat, quis neget, eum specialiora, & ipsum excidi denuntiati tempus, satis accurate cognitum habuisse? Nec est, quod nobis obvertatur, *celatum illud tempus fuisse*

sancas ob rationes, quas indagare nimis sit arduum. Hoc ipso enim conceditur, nullas produci causas idoneas, ob quas ignorare illud Filius, vel potuerit, vel voluerit, posse, quod nobis ad refutandam Dissentientis opinionem sufficit. Porro 5) *Danieli*, & quidem per *Gabrielem*, Angelum, dudum antea revelatum erat, post duas & sexaginta hebdomadas, exciso Christo, Civitatem ipsam, una cum sacrificiis, delendam esse ab exercitu Principis. *Dan. IX, 26. a)* Unde & *Josephus b)* testatur, Danielem praedixisse, quod Hierosolymæ a Romanis everti debuerint, & Dominus ipse in observando instantis calamitatis tempore, ad sedulam, attentamque, Prophetiae Danielis meditationem nos revocat. *Math. XXIV, 15.* Quod si ergo & *Gabrieli*, Angelo, & *Danieli*, Prophetæ, per Angelum, tempus definitum excidii Hierosolymitanæ, non obscure innotuit, quis affirmare ausit, de die illa, deque hora illa, ne *Filio* quidem hominis constitisse?

Levia sunt, quæ hic *Kænigsmannus* opponit, nempe locum *Jes. LXII, 4.* ubi dies ultionis dicitur, **כָּל בְּ**, quod sic exponant Ebræi: *animo meo eum patefeci: at membris meis,* i. e. angelis ministrantibus, *non patefeci.* Deinceps Christum, etiam in vitam revocatum, nesciri a discipulis voluisse tempora, & momenta, quæ Pater sua in potestate posuerit. Imo mirum non esse, Dominum diem excidii Hierosolymitanæ discipulos suos latere voluisse, quum de eo, etiam post eventum, dissenserint duo oculati testes, *R. Johannes*, & *Fl. Josephus*.

Sed enim quod ad *primum* spectat, ostendendum erat Dissentienti, Magistrorum Ebraeorum interpretationem esse legitimam, ac veram. Nec enim, *Angelos membrorum Dei* venire in Scripturis, meminimus. *Quod ad alterum,* vereor, ut tempus excidii Hieros. & destructionis Reip. *Juda-*

a) *Conf. Hammond. ad N. T. T. I. f. 151.* b) *L. X. Antiq. c. ult. f. 354.*

Judaicæ, iis sit annumeranda temporum moimentis, quæ Pater potestati suæ relicta esse voluerit. Saltem *Ad. I. 7.* ab Apostolis non de Reip. Judaicæ destructione, sed regni Messiae constitutione, disputabatur. Qua tertium, infirmam argumentandi rationem notamus, quum minime omnium sequatur: quoniam inter duos Scriptores Judaicos *post eventum*, de die excidii non convenerit, Christum etiam, ut filium hominis, *ante eventum*, eundem ignorasse. Merito hic cum *Jo. Marckio* dixerim: *Quanti bi Viri (Hammondum, & Lightfootum intelligit,) fuerint, aliquæ, qui cum iis hac in parte sapuerint, non possunt non vehementer istas glossas mirari. Quæ, quam coactæ sunt, satis patet ab initio, per nimiam istam diei, & horæ, restrictionem, ad ipsum temporis excidii articulum, & per connexam ignorantie relationem, ad negatam ejus revelationem, per Prophetas, Angelos, & Christum, ad quam inepta hypothesis istos Viros coagit, eque quam ad conferendum alienissimum dissensum Judeorum, de dicendo die nono, an decimo excidii facti &c. a)* Neque vero ad extreum ulla ratio appetet, cur diem illum nec mortalium quisquam, nec angelus, ac ne Filius quidem hominis, cognitum habere debuerint. Quod ad homines, bene Veteres dixerunt: *Unum diem latere Deus voluit, quo observentur omnes.* b) Ut enim nihil ad excutiendam ignaviam efficacius est, quam periculum certum, tempus periculi incertum; sic Deus, sapienti consilio, diem extremi judicii etiam nunc vult ab hominibus ignorari, quo quisque ad illum diem vigilet, & ad judicem hilari vultu excipiendum, paratus sit. Quid autem opus erat, vel Apostolos, vel reliquos etiam Christianos, monere, ut se ad diem interitus Hierosolymorum componerent, quem tamen non imperterriti expectare, sed

a) Vid. Exercit. ejus ad XXIV. S. S. loca p. 189. b) Conf. Isidorus Peluf. Ep. L. I. n. 117, p. 36. edit. Parif.

sed celeri fuga declinare, debebant? Neque enim adventus Christi ad judicium adversus Judæos, usque adeo non opinantes opprescit, quin, saltem prudentiores, imminentem sibi tempestatem prævidere potuerint. Addo, pugnare secum, quod *Kenigsmannus* a) statuit, ideo ignorandum fuisse Apostolis diem adventus Christi contra Judæos, quo ad circumspectionem, & vigiliam excitarentur, quos tamen mox, b) extincto Christo, *Judea pulsos fuisse*, scribit. Quid enim opus fuit, iis, ad evitandum periculum, vigilantiam commendare, qui, antequam illud ingrueret, eidem subtrahendi erant? Imo, quum, demento Joanne, nemo Apostolorum usque ad tempus excidi Hierosolymitani vivendo pervenerit, cur Christus excitare ad vigilantiam propter illud tempus, Apostolos voluisset, quos ad illud usque non fore superstites sciebat? Persevero igitur in sententia, hunc locum non die adventus Christi ad judicium contra Judæos, sed die adventus ad judicium extremum, & hujus ipsius ignorantie, intelligi oportere.

§. XX. Eo de adventu loquitur Dominus, qui 8)
furis inßar, & laquei, veniet super omnes, qui vivunt in omni terra. *Math. XXIV, 43. Luc. XXI, 35.* Quibus in verbis gemina comparatio inest: altera a fure, altera a laqueo, avibus injecto, petita. *Neutra* ad Christi contra Judæos adventum accommodari potest. Prior enim a fure, nocturno tempore in domum irrumpente, desumpta, non modo adventum prorsus inexpectatum notat, sed etiam, describendo Christi ad judicium ultimum adventui tantum non *propria* est, in Scripturis. Dominus ipse non semel adhibet eandem. Nam *Luc. XII, 39.* ait: *Si sciret Paterfamilias, qua hora venturus fur esset, unique vigilaret.* Ad Episcopum vero Sardensem scribere jubebat: *Nisi*

vigi-

a) in *Dissert.* cit. p. 45. b) p. sq. 46.

vigilaveris, veniam ad te, ὡς ιλέπτης, sicut fur, & nescis,
 qua hora veniam ad Te, Apoc. III, 3. Quibus verbis utut
 non adventum in supremo mundi, sed vitæ nostræ die,
 significet, respectu tamen singulorum hominum eadem
 utriusque conditio est. Nam quae in extremo die *omni-*
būs evenient; hæc in supremo vitæ die *singulis* sunt ex-
 pectanda, dum *tanidem uniuscujusque nostrum interest*, sive
 totam hanc mundi machinam destruat Dominus, sive, ea adhuc
 incolimi, nos solos istius possessione excutiat, ut loquitur Clu-
 verus. a) Eadem Dominus formula utitur Apoc. XVI, 15.
Ecce, inquit, venio, sicut fur: beatus, qui vigilat, & custodit
vestimenta sua, ne nudus ambulet, &c. ut adeo hæc compa-
 ratio trita Servatori, ac in describendo adventu suo, quo-
 modocunque ultimo, prope familiaris fuisse videatur.
 Exemplum Magistri secuti, Petrus, juxta & Paulus, eandem
 in sententiam de adventu Domini locuti sunt. *Advenit*
dies Domini sicut fur in nocte, Petrus scribit, 2. Ep. III, 10.
 Paulus vero non solum eandem similitudinem adhibet,
 sed & eam Christianis dudum accurate cognitam fuisse,
 dicit: *Αὐτὸς, inquit, ἀκριβῶς οἴδατε, ὅτι ἡ ἡμέρα Κυρίου*
ὡς ιλέπτης εν γυντὶ, ἐτῶς ἔρχεται. 1. Thess. V, 2. Unde vero
 tam *accurate* norant, quam ex ipsius Servatoris revelatio-
 ne, qui tam crebro eadem illa comparatione fuerat usus.
 Imo cur Apostolus non modo dicit: *ὡς ιλέπτης εν γυντὶ,*
 sed & NB *ἐτῶς*, ita, & non aliter, *ἔρχεται*, quam, quia
 hanc comparationem inopinato Christi ad ultimum judi-
 cium adventui tantum non *propriam* esse intelligebat?
 Quo igitur, non dicam pudore, sed jure, is Domini ad-
 ventus, quem h. l. cum *furi* adventu comparat, de ad-
 ventu quodam Christi adversus Judæos rebelles acci-
 pietur?

G

Quod

a) in Diluc. Apocalypt. T. II. f. 131. Conf. Theophylactus in Com-
 ment. ad 1. Thess. V. f. 705. ed. Londin.

Quod ad alteram, a laqueo depromptam, spectat, illa non majori, quam prior illa, facilitate, ad illum contra Iudeos adventum poterit detorqueri. Laquei enim instar supervenire, ac injici, moram omnem excludit, adventumque non solum *inexpectatum*, sed & *subitaneum*, ac vel *momento absolwendum*, significat. Hujusmodi vero celeritate Christum puniendis Iudeis supervenisse, vereor, ut possit ex Historia ostendi. Nam, ut eandem, vel ipsius Dissentientis verbis, complectar: *Orta sub Floro seditione primaria, & ferali -- primum depugnatum est in Galilea, aincipiti initio fortuna; deinde vero, fausto magis successu, postquam Summus militiae Dux Vespasianus constituebatur. Ita quidem, ut felicissimis ejus auspiciis brevi tempore Galilea tota subjugata, occupatisque Gadara, Tiberiade, Jotapata, Taricheis, Gamala, urbibus, & Iacobio monte, itemque Joppe excisa, & Giscala insuper a Tito itidem superata, nihil videretur restare, quam Hierosolymorum obsidio. -- Intercesserunt isti more varii generis distractio[n]es, & bella intestina. -- Illud interea agebant Romani, ut, collocatis presidiis, & castellis eretis, deinceps undique Hierosolymam includerent, ne quam ex eundi copiam, qui vellent, haberent. a) Etsi vero Titus Vespasianus tum temporis, copias suas ἐξαφνεις (ut Josephus b) loquitur,) seu protenus adinovit ad Urbem, & intra hujus incenia innumerabilem prope Judæorum multitudinem conclusit; ille tamen, ut sic loquamus, laqueus, non omnibus ναθημένοις ἐπὶ πρόσωπον πάσῃς τῆς γῆς, seu omnibus in toto terrarum orbe habitantibus, (Luc. XXI, 35.) & ne quidem omnibus in Judæa, sed iis solum, qui rere vel celebrandi paschatis, vel suæ incolumitatis causa, in Urbem receperant, est injectus. Bellum ipsum, & depopulatio, vastatioque Judææ, tantum abest, ut instar laquei*

a) vid. D. Zeltneri Disp. de Signo Filii hominis. Altorf I A, 1713.
b) L. VI. de B. Jud. c. 3. f. m. 908.

laquei venerit super Judæos, ut & multi tempestatem illam præviderint, & se mature illi subduxerint. Quod ipsum Clericus iuriens: *Falsum prorsus est, inquit, a) tam subitum suiss, & inexpectatum exitium Judæorum.* Nam certe, postquam Vespasianus Judæam est ingressus, non difficile fuit conieere, adum esse de Republica Judaica, iis, qui Judæorum & Romanorum vires conferre potuerunt. Jam antea sub administratione Gessei Flori, & cum Cestius Gallus in Judæam venit, sat mego tumulu, ira Romanorum denantiata est Judæis. Alia ultimi ad judicandum vivos, & mortuos, adventus ratio est, qui tamen inopinato mortales opprimet, ut iis, veluti laqueus aliquis, injici videatur: Unde & a Domino cum fure, non ratione criminis, & noxe, sed in-sipinati adventus, comparatur.

§. XXI. Eo de adventu loquitur, quem 9) tanta hominum est præcessura securitas, quanta fuit eorum, qui eluvione universalis, Noachi tempore, periere. Sicut enim erant dies Noæ, sic erit & adventus Filii hominis. Sicut erant in diebus, qui præcesserunt diluvium, edentes, & bidentes, contrahentes matrimonium, & nuptum dantes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in Arcam: & non cognoverunt, donec venisset diluvium, & sustulisset universos; ita erit & adventus Filii hominis, dicit Dominus Mauth. XXIV, 37. 38. 39. *Quæ verba sic esse a Servatore expressa, ut ipsam mundi universi instantem adhuc signare videantur destructionem,* diffiteri *Kanigsmannus* non potest. Nihilominus tamen hæc omnia ad tempus illud restringit, quo impii Judæi abjiciendi, & urbs eorum vastanda fuerit, causatus, ex Herinenevticis notum esse, voces generaliores in Scriptura sepius ad rem præsentem restringi. Respici ergo his verbis ad Palæstinam, in qua Judæi tanta pace, & opulentia vixerint, ut nihil minus, quam gentis

G 2

suæ

a) ap. Hammond. T. II, f. 398. b.

52 QVOD TEXTUS EVANGEL. DOMIN. II. ADV.

sue interitum expectarint. a) Ut ivero nolim inficias ire, generalius dicta nonnunquam *specialiter* intelligi oportere; sic illa, quam hic pingenda sententiae adhibet, interpretandi regula, minime omnium locum invenit, quando i) Spiritus S., optimus verborum suorum interpres, ea, quae uno loco *generaliter* edisserit, etiam alio loco *generaliter* intelligenda esse, nos monuit. Gravis autem, & digna consideratione, ipsius Christi vox est: *Quæ vobis dico, NB OMNIBUS dico, γρηγορίτε. Marc. XIII, 37.* Quo ipso clare satis docet, non Apostolos, vel Judæos solos, sed omnes omnino homines, & ad securitatem carnalem inclinari, & a se hac ipsa monitione studiosissime avocari. Sequuntur Magistri auctoritatem Discipuli, & homines proximis ante diem extremum temporibus, otio, securitati, libidinibus, ignavie, datus se esse, scribunt. *Cum enim dixerint: pax, & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient,* ut Paulus ait 1. Thess. V, 3. *Quæ verba cuim de oppressionibus Iudaeorum accipere ausus esset Hammonius,* b) ab ipso Clerico destitutus, & solide confutatus est. Consentit cum Paulo Petrus, & 2. Epist. III. commatibus 5, & 6. tempora Noachi, & tempora finem mundi proxime præcessura: interitum orbis per *aquas:* & interitum hujus universi, per *ignem,* inter se comparat. Quem posteriorem, ut non magis, quam priorem, atque Noachicum, a securis hominibus vel credi, vel metui, ostendat, repetit Christi verba, quum Matth. XXIV, 41. dicit: *Veniet dies Domini, sicut fur in nocte.* v. 10. eoque ipso procul fallendi periculo demonstrat, Dominum apud Evangelistam non de *speciali* quodam adventu contra Judæos, ut Kœnigsmanno persvasum est, sed *generali*, ad judicandum universum genus humanum, & finem mundo

a) Vid. Differt. p. 46. & 47. b) Hammond. T. II. ad 1. Thess. V. f. 250.

mundo imponendum, locutum esse. Addo 2) ex Historia ostendi vix posse, quod Judæi a Romanis rerum suarum securi, nec opinantes, oppressi fuerint. Aliter rem tradit *Josephus*: a) *Hierosolymis*, inquit, *Ananus Pontifex, & potentiores, qui non cum Romanorum parte sentirent, muros instaurare properabant, multaque bellica instrumenta, perque omne oppidum sagittæ fabricabantur: & exercitationibus jussis manus juvenum operam dabant.* Erantque universa plena tumultus, magna que tristitia moderatos occupaverat: multique NB τὰς μελλόστοις προορώμενοι συμφοροῖς fletum cohibere non poterant: statisque jam iunc, quasi periturae civitatis erat, antequam Romani venirent. Nemo igitur t. t. inter Judæos fuit, qui pacem, & tuta omnia esse crederet, & imminentem Judæis calamitatem non prævideret.

Frustra his opponit Dissentiens: Christum ideo verba sua sic concepisse, ut destructionem hujus universi signare videantur, quia securitas, a qua revocare suos studeat Dominus, non solum ad tempus, quod præcesserit ultimam devastationem Judæorum, sed etiam ad ea tempora, quæ interitum mundi antecedunt, pertineat. Sic enim, velit, nolit, Dissentiens fatetur, securitatem carnalem hujus universi finem vel maxime antecessuram esse. Quam quia eum ob adventum, de quo loquitur Dominus, excutere jubet ex animis, sponte sequitur, non aliud, quam ultimum Christi adventum h. l. intelligendum esse. Obstruit etiam inane effugium contextus. Mox enim subjicitur: *Tum duo erunt in agro: unus assumentur, alter relinquitur.* Jam quodcumque periculum alius evadet, alius non evadet, illud h.l. intelligitur. Quum enim *alii τῷ συντονίᾳ καὶ ἀγεντινοὶ studeant; alii παθυμοὶ, καὶ αἰτηίᾳ languent, hinc sit, ut cum Dominus in gloria veniet, illi afflendi*

mendi sint, illi relinquendi, ut locum explicat Isidorus. a)
Atqui exitium Hierosolymorum nemo ex iis, qui fuerunt intus, evasit, sed ad unum omnes, fame, gladio, igne, peste, perierunt, vel vivi saltem in potestatem hostium venerunt. Illud ergo h. l. non intelligitur.

§. XXII. Eo de adventu agitur h. l. ad quem 10) *sobrietate, precibus, ac vigilantia, nos omnes preparare debemus.* Sic enim legitur *Luc. XXI, 34. 36.* Cavete vobis, ne quando graventur corda vestra, crapula, & ebrietate, & curis hujus vitae, vobisque ingruat dies ille. Vigilate igitur, omni tempore deprecantes, ut liceat vobis effugere ista omnia, quae futura sunt, & stare coram Filio hominis. Quæ verba nullo modo de adventu Christi ad judicium contra Judæos accipi debere, non uno mihi argumento videor evincere posse. *Primum* est, quod Christus in iis, quæ textum antecedunt, non jussiferat homines, *preparare sese* ad pœnam Judaico populo infligendam, sed potius eidem sese *fuga, celerrime arrepta, subducere, Matth. XXIV, 15. Luc. XXI, 20. 21.* *Alterum* quod moris divini est, denuntiationem extremi judicii, & finis mundi, conjungere cum adhortatione ad vigilantiam, & sobrietatem. Sic *Faulus Theſſalonicensibus diem extremiti judicii in memoriam revocat: Plane scitis, inquit, diem Domini venturum esse, sicut fur in nocte. 1. Ep. V, 3.* Mox eos ad vigilantiam, & sobrietatem hortatur, dicens: *Proinde, ne dormiamus, sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobriſsimus c. 6.* Ita & *Petrus*, postquam 2. Ep. III, 7. 8. seq. de utroque pluribus exposuerat, subjungit: *Quum igitur hec omnia solvantur, quales oportet vos esse, in sanctis conversionibus, ac pietatibus, expectantes adventum dei Dei.* Et mox c. 14. *Quapropter expectantes date operam, ut immaculati,*

a) *Isidorus Pelusiota Epist. L. I. n. 238. f. m. 76. edit. Parif.*

lati, & incontaminati ab illo reperiamur in pace. Quin & tertium addere possum, ab eo sumptum, quod non solum Apostolos, sed omnes omnino homines, vigilare Dominus, & quidem ἐν παντὶ καιρῷ, omni tempore, jubet *Luc. XXI, 36.* Qua quidem admonitione ad *omne tempus*, & *omnes* præterea homines, extensa, nihil credo, fuisse opus, si quidem de adventu suo ad judicium contra populum Judaicum egisset, quum hoc nec omni homini, nec omni tempore, fuerit metuendum. Argumentor: *Ob quemicunque inopinatum adventum omnibus hominibus, & omni tempore, vigilandum est, is adventus intelligitur hoc loco. Atqui non ob adventum Christi ad puniendos Judeos, sed ob adventum ad judicandos homines, omnibus hominibus, & omni tempore, vigilandum est.* E.

§. XXIII. Argumentum pondere, momentoque, primum, ordine ultimum est, quod Dominus n^o *eo de Adventu loquitur, sub quem omnes, coram ejus tribunali, ad judicium sistendi sumus.* Vigilate, inquit, omni tempore, deprecantes, ut liceat vobis effugere ea omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. *Luc. XXI, 36.* Facile assequebatur *Kœnigsmannus*, vim hujus argumenti tantam esse, ut omnem suam interpretationem, operosissime licet fictam, & pictam, uno quasi i^chu dejiciat, ac prosterat. Mire igitur se torquet, & tantum non omnes in partes versat, eam quo effugiat commode, ac declinet. Φρεσίω enim judiciariam esse σαρκὸν εὑπέρος ἐν τῷδε, & speciatim significare, coram tribunalⁱ intrepido esse animo, causamque obtinere, imo vero eandem, admirabili Scripturæ consensu, de statione coram ultimo judicio accipi, disfiteri non potest. Interim, ne desit, quo veritatem, sole meridiano clariorem, obscureret, ac temeret a) superaddit: eam generatim notare bono statu, & conditione esse, nec semper

a) p. 48.

per de judicio extremo adhiberi, quod constet ex *Mal. III, 2.* ubi de Christo corruptores Legis per verbum iudicatuero, dicatur: *Quis eo apparente confisetur?* Sufficit autem, id nobis, etiam ab invito, relinquere opportere, hanc *Φρεστων* semper adhiberi *de consenserit coram Judice, ad rationem reddendam.* Quapropter discere nunc velim, quamnam, & cuiusnam, vel Apostoli, vel alii fideles, tum temporis, quum vastaretur Iudea, & delerentur Hierosolymæ, reddere coram Filio hominis rationem debuerint? Numne incredulitatis? atqui pridem crediderant: Numne, quod rejecerant Christum? at pridem receperant. Numne quod eundem deseruissent in periculis? Atqui in eodem in temptationibus permanserant. Numne, quod verbum corruperant? atqui purissimum promulgarant. Numne, quod vitam multis sceleribus macularant? Atqui innocentissime vixerant. Nullius ergo rei erant criminis, ob quod exitium immittendum erat Iudeis. Qui ergo idem cum Iudeis contumacibus, ac rebellibus, subire iudicium, & capitale supplicium debuissent? Cur monendi erant, ut orarent, quo digni haberentur effugere illa omnia, quæ ventura essent, quos & imminenti periculo per ablegationem ad promulgandum Evangelium, tempestive subtraactum iri norat, & Noster etiam a) extinto Christo, a Iudeis patria expulsos esse, testatur. Quo consilio monebitur quis, ut ad reddendam rationem, & sustinendam Judicis sententiam se præpareret, quem sub adventum Judicis non affuturum, nec per officii rationes adesse posse, certo constat? Imo vero, quando & mandatum de adhibenda vigilantia ad omnes promiscue homines extendit, *Marc. XIII, 37.* & suum sub adventum omnes fistendos esse suum ad tribunal, confirmat; tum non de adventu quodam intermedio ad puen-

a) p. 46.

niendos Iudeos exercendum, sed de adventu ultimo ad
judicandos homines, in antecedentibus locutum se esse,
non tam insinuat, quam manifesto docet a)

CAP. SECUNDVM,

idque ἀνασκευασιον.

§. I. Quemadmodum hunc textum eorum ex numero
censuque, esse, nulli diffitemur, quibus DEO
placuit, nostras intelligentias exercere, ut loquitur Augustinus; b) ita, quas involvit, difficultates, peculiarem sibi
operam, qua removeantur, exposunt.

Ac primo quidem Dissidentes sibi persuadere non
possunt, post descriptam obsidionem nihil amplius de
mutua omnium violatione, quotidiana cede, fame, continua ter-
rorum imbris, repetitis insultibus, desperatis molitionibus,
hostiumque progressibus fortunatis, & reliqua malorum cater-
no, nihil, inquam, a Christo additum, sed silenio ea omnia
præterita, & quod caput rei, nulla novi argumenti, ad quod
transfatur, facta mentione, incredibili quasi saltu ad judicium
extremum mundi provolatum fuisse.

Sed quis invicem in animum inducat suum, postquam
Christus initia dolorum, Matth. XXIV, 7. 8. Marc. XIII,
7. 8. Luc. XXI, 9. progressum, Luc. XXI, 11. extrema denique
omnia, seu θλελυγμα ἐγημώσεως, Matth. XXIV, comm. 15.
20. 21. Marc. XIII, 14. 19. Luc. XXI, 20. 21. 23. 24. ne abdu-
ctione quidem Iudeorum in servitutem, & calcatione
Hierosolymorum a gentibus excepta, adeoque exitum
non minus judicii adversus Iudeos quam exordium, edif-
feruerat, eum Matth. XXIV, 29. Marc. XIII, 24. Luc. XXI,
25. demum ad signa hujus judicii particularis, adversus

H

Ju-

a) Conf. Alex. Morus in Diff. ad Matth. XXIV, 28. p. 413. ed. Salmar.

b) Epist. LXXX. T. II. OO. f. 366. edit. Froben.

Judæos exerciti, relapsurum fuisse? Nam de calamitatibus, obfitionem Urbis comitaturis, jam ante ad pri-
mum ejus conspectum, coram Apostolis, & multitudi-
ne, *palam*, & graviter, copioseque, dixerat *Luc. XIX,*
42. 43. 44. Quæ ut *privatum* repeteret, denuoque
Apostolis, numero quatuor, inculcaret, causa non sup-
petebat. Quis præterea credat, Dominum prius de
ipso Urbis *interitu*, quam interitus *signis*, dicere, aut *si-
gnorum eventum*, post prolixam *signari descriptionem*, pone-
re voluisse? Quin potius quæstio, ab Apostolis propo-
sita, eademque duabus, tribusve partibus comprehensa,
(ut supra *Cap. I. §. I.* monuimus,) postulabat, ut, post-
quam, apud *Lucam*, de uno quæstionis membro, Urbis
nimirum excidio, satis dixerat, nunc etiam ad descrip-
tionem finis universi, signorumque hujus, progrede-
retur. Neque vero, ut novi, ad quod in respondendo
transfiret, argumenti, mentionem injiceret, opus erat,
quando Apostoli, & de quot, quibusve rebus, quæsfis-
tent, non ignorabant, et vele sola connectendi formula:
*μετὰ τὴν Θλίψιν ἐκένυν, POST calamitatem illam, Domi-
num in respondendo ad novum argumentum progredi,*
citra difficultatem colligere poterant. Quod si cui sal-
lus ab excidio Urbis, ad extremum judicium, & inte-
ritum Orbis, incredibilis videtur, is meminerit, hunc
per illud quodammodo representatum fuisse, & Chris-
tum eadem argumenta & eodem ordine, quo fuerant
in quæstione proposita, etiam in respondendo discute-
re voluisse, quanto demum cunque de cetero hiatu a
se invicem fuerint sejuncta.

§. II. Sed enim, Dissidentes illud *nobis* objectu-
ros esse, prævideo, textum controversum cum narra-
tione de *judicio Christi particulari* adversus Judæos ar-
gissime cohærere. *Matthæum enim scribere: Euθέως*
μετό

μετὰ τὴν Θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκένων δὲ ἥλιος σκοτιῶσεται.
c. XIV, 29. *Marcum* etiam significantius dicere: ἀλλ' ἐν
ἐκένων τοῖς ἡμέραις μετὰ τὴν Θλίψιν ἐκένην sol obscura-
bitur. c. XIII, 24. *Lucam* denique ipsum, per particulam
καὶ, pericopen hanc cum præcedenti, de excidio Hiero-
solymitanō, arcte conjungere. Tam enorū igitur
saltum ab excidio Urbis, ad interitum Orbis, & extre-
mum iudicium, statuendum non esse. a)

Verum hæc omnia speciosius, quam solidius, dispu-
tantur. Primo 1) enim sufficit, *Matthæum* juxta &
Marcum, obscurationem Solis, & Luna, μετὸ τὴν Θλίψιν
ἐκένην, i. e. post *devastationē Judæe*, & *deletionē Hierosolymorum*, adeoque POST iudicium illud particulare
contra *Judaos*, manifesto ponere. Quapropter ipsum
ad iudicium vel ut *antecedens*, vel ut *comitans*, referri
nulla ratione potest. *Lucas*, antequam de *Signis* in So-
le ac Luna dicat, multos occidendos, in servitute ab-
ducendos, ipsam Hierosolymorum Urbem a gentibus
concilcandam esse, commemorat. Quæ verba, uti ca-
lamitatum Judaicarum *apicem*, quod negari non potest,
exprimunt; sic, cur ad, nescio quæ, initia dolorum de-
nuo relabi, sua in narratione, debuerit, nondum cape-
re me posse, lubens profiteor.

Duo hic nobis opponi a Dissentientibus video: Primo
1) per Θλίψιν non omnimodam, & numeris omnibus absolu-
tam intelligi debere. Deinceps, 2) non omnia, quo ordine
sint facta, eodem a Christo enumerari. Commate enim 15. Eum
meminisse stantis in loco sancto Βδελύγματος τῆς ἔρημωσεως,
imo ipsius finis malorum, comm. 14. nihilominus de fuga, qua
sibi consulere possint, de imposturis falsorum Prophetarum, de
congregatione aquilarum porro differere. &c. b)

H 2

Sed

a) Koenigsmann. l. c. b) Dn. D. Zeltner. in Disp. cit. §. XLVIII.

Sed respondeo ad primum: a) *indefinitas Scripturæ locutiones restringendas non esse, nisi Scriptura ipsa restringat, aut restringendi rationes subministret*; quæ exercitatissimi Sacrorum literarum Interpretis, B. S. Schmidii, observatio est. a) Nulla vero ratio appetet, ob quam h. l. per Θλίψιν non *omnimodam*, sed *aliqualem*, & *inchoatam* sommmodo intelligere debeamus. Imo b) qualem Θλίψιν respiciat Dominus, ipse insinuat, dicendo: *μετὰ τὴν Θλίψιν NB ἐνέινην, post afflictionem illam*, quam nempe, & qualem huicdum descriperat. At enim in antecedentibus non *aliqualem*, vel *inchoatam*, sed *omnimodam*, talem nimirum, quæ cum afflictione spirituali, Θδελύγματι ἐρημώσεως, desolatione, in servitutem abductione, finali agentibus conculcatione, conjuncta, & tum ratione graduum, tum ratione temporis, ac durationis, adeoque numeris omnibus, absoluta sit, descriperat. Post talem igitur etiam illa signa demum secutura esse in Sole, ac Luna, prænunciat.

Quod ad *alterum*, reverentius mihi de Christi Servatoris doctrina, judicandum esse, existimo, quam ut omnis Sapientiae ac Ordinis auctorem *confusæ* alicuius narrationis temere accuseam. Si enim Christus *POST* illam afflictionem aliqua eventura esse dixit, quæ tamen eam vel *antegressa*, vel saltem *comitata* sunt, falsum dixit, quod absit, vel cogitemus de Christo. Vulneratae hoc ipsum causæ, ne quid dicam *gravius*, indicium foret. Quod vero ad *commata XIV. & XV.* spectat, conferendi secum sunt Evangelistæ. Aliud enim *Matthæus*, aliud *Lucas*, memorat. *Matthæus* scribit: Ubi videritis Θδελύγματα τῆς ἐρημώσεως stare in loco sancto: vel ut *Marcus* exprimit, ὅπου εἰ δεῖ, ubi non debet: *Lucas* ait: ubi videbitis

a) in Comment. ad Ep. ad Ebr. c. II, v. 8. p. 283.

DE ADVENTU CHRISTI ULT. SIT ACCIPIENDUS. 61

ritis Hierosolymas a militibus circundatas. Utrumque procul dubio Dominus dixit: *Ubi, nempe, videritis θδέλυγμα ἐγνιώσεως, stans in loco sancto, ubi non debet, εἰ Hierosolymas a militibus circumfusas, τότε, tunc qui in Iudea est, fugiat in montes.* Hic autem relictis omnibus explicandum est, quid proprie sit τὸ θδέλυγμα τῆς ἐγνιώσεως. Nostro, ut breves sumus, iudicio, vel *abominabilem desolationem*, vel, quod malum, aliquid *abominabile*, quod aurabat *desolationem*, significat, ita ut per ἐγνιώσιν non forma θδέλυγματος, sed *effectus*, notetur. Quodnam vero illud est θδέλυγμα, quod Hierosolymis ἐρημωσιν attraxit? Non absurdia eorum sententia videtur, qui per θδέλυγμα Zelotarum furorem intelligunt. Hi enim primo confluxerunt in Urbem mox ληστικὴν τόλμαν, ut *Josephus* a) loquitur, ex urbe transtulerunt in templum, quod ipsum, eodem teste, b) in τυραννεῖον mutarunt, suumque ὄγκητήριον, καὶ τατουφυγὴν ut latrones speluncam, esse voluerunt. Hi quodammodo θδέλυγμα fuerunt, i. e. Deo, & hominibus invisi, quia διὰ ὑπερβολὴν αἰτηθημάτων polluerunt καὶ τὸ αἰβέβηλον ἔδαφος c) & sanctissima quæque humanis cruoribus resperserunt. Fuerunt etiam θδέλυγμα τῆς ἐρημωσεως, quia non solum ipsi urbem, & templum cædibus rapinis, incendiis, ac direptionibus, vastarunt, sed & plenariam desolationem iisdem sua contumacia attraxerunt, quod *Josephus* denio confirmat, quum ait: ἡ κατὰ τὸ δύμα τῶν ζηλωτῶν ἐπιθεσις, ὑπέρ κατηρέεν ἀλωσεως τῇ πόλει. d) His ipsis etiam Zelotis urbem tenentibus, & adhuc fugæ locum fuisse, & quotidie ad *Vespasianum*, metu Zelotarum, multos configuisse, idem testatur. e) Verum,

H 3

ne

a) L. IV. c. Gr. 15. Lat. VI. f. 872. b) L. IV. cc. 13. d. f. 872. 875.
c) L. IV. c. VI. f. 878. d) L. VI. de B. Jud. c. I. f. 904. e) L. V.
c. Gr. κβ f. 886.

ne quid diffitear, ἐμφασις utriusque vocis me retinet, quo minus huic sententiae subscribam. Multo enim quid gravius, quam quod de Zelotis, corundemque furore, e Josepho allatum fuit, utraque involvit.

Malim igitur Lucam Commentatorem sequi, & per τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως exercitum Romanum intelligere, qui uti e Gracis, Latinisque, iisque idololatris, collectus erat; sic utique βδέλυγμα erat, tum in oculis Dei, tum maxime Judaeorum. Idem vero erat βδέλυγμα ἐρημώσεως, non qualiscunque, & modicae, sed plenarie, totalis, & exiliose, ita ut omnia in solitudinem verterentur, & vix urbis, ac templi, vestigia remanerent. Et hanc ipsam ἐρήμωσιν non moraliter aut rarerunt, sed physice intulerunt Romani, quod dici de Zelotis, & urbis, templa, defensoribus, non potest. Neque tamen hic ipse Romanorum exercitus obstitit, quo minus, maxime antequam peculiaribus incenii includerentur, obsessi, a) (quippe quibus omnis elabendi rima obstruxa fuit b)) fuge hoc locus esset. Nam, & quum Titus proprius accessisset ad urbem, multi ex urbe profugerunt ad eum, &, quum Josephus c) eos ad deditioinem sollicitasset, ὁ δῆμος ἐκινήθη πρὸς αὐτομολίου, ita, ut multi celeri sibi fuga consulerent, quos quidem Titus incolues, & quo quisque vellet pergere, dimisit. d) Quin &, postquam undique incenibus inclusi erant obsessi, qui ad Titum profugerent, & servitutem, quam famem, tolerare mallent, inventi sunt. Post expugnatam denique jam urbem hinc inde extiterunt, qui miseræ nationi affectato Messiae titulo imponere vellent. Congregatio aquilarum adventum Christi, & regnum spirituale, nostra sententia, respicit. Christus igitur in enar-

a) Josephus L. VI. de B. Jud. c. XII. b) ib. c. XIII. pr. f.
c) vid. L. VI. c. XI. Gr. 25. f. 931. d) L. VII. f. m. 949.

enarrando eundem ordinem tenuit, quo evenerunt prædicta, & quoniam signa in Sole, ac Luna, POST feralem illam gentis Judaicæ calamitatem posuit, hoc ipso ad eandem referri non oportere, nos monuit.

Sed, ut illuc revertamur, unde paulisper digressi sumus, 2) τὸ ἐνθέως non modo Latine per statim, sed & per derepente, ex improviso, inexpectato, reddi potest. Saltetem hoc significatu sumitur Jo. VI, 21. Act. XII, 10. Ap. IV, 2. quin & apud profanos Scriptores. Herodiano e. g. ή ἐνθέος Φυγὴν celerem, ac repentinam, fugam notat. a) Eundem vero hujus loci contextus propemodum exigit, ac requirit. Loquitur enim de αἰφνίδιῳ, & valde accelerato, de die, qui, sicut laqueus, superveniet in omnes, qui vivunt in terra: de die, ob cujus improvisum adventum perpetuus vigiliis est opus. Luc. XXI, 34. 35. 36. Nihil igitur obstat, quo minus τὸ ἐνθέως per improviso, vel derepente, reddatur. Evenire enim ultimus Christi, ad judicium universale, adventus, ex improviso, potest, etiam si multis, post particulare judicium adversus Judæos, secundis, demum sequatur.

Veruntamen, 3) si dicere mihi fas est, quod sentio, nihil opus est, ut huc recurramus, quum e proximo petere possimus, quod alii e longinquo arcessunt. Nimirum, quoties novissimi diei, vel Christus, vel Apostoli, faciunt mentionem, tum, et si eum longius abesse non ignorarint, nihilominus de eodem, tanquam proxime affuturo, & non in dies, sed horas, vel expectando, vel metuendo, loquuntur. Matib. XXIV, 42. sq. Luc. XII, 37. 1. Thess. V, 3. 2. Thess. II, 2. 2. Pet. III, 13. Dominus ipse ad calcem Scripturæ S. Apoc. XXII, 7. 10. 21. ταχὺ se adventurum, nunc minatur, nunc pollicetur, & tamen ab illo, ad nostra usque tempora, secula bene multa

a) Histor. L, VIII, 1.

inulta elapsa sunt. Ut vero propterea, quod Christus huic suum ad judicium adventum distulit, non sequitur, eum de eodem apud Joannem II. cit. locutum non esse; ita nec, quia Christus apud *Matthaeum* de signis, afflictionem Judæorum ἐνθέως secuturis, agit, eadem adventum ejus ultimum præcessura esse, negari debet. Tὸ ἐνθέως enim non est metiendum *estimatione humana*, secundum quam id *statim* fieri dicitur, quod vel *nulla interposta mora*, vel paucis saltem horis, diebus, aut mensibus, interjectis, perficitur, sed *estimatione divina*, secundum quam mille anni sunt, velut dies unus.
Pf. XC, 5. 2. Pet. III, 9.

4) Si quis hac in responsione acquiescere nolit, ac urgeat: Christum t. t. *cum hominibus* locutum fuisse; τὸ ἐνθέως igitur *secundum estimationem* quoque *humanam* intelligi oportere: tum hoc invicem monere mihi liceat, τὸ ἐνθέως h. I. Θλίψ ante expositam, ac denuntiatam, respicere, adeoque insinuare, quod signa, quæ futura dicuntur Θλίψ illam, *procul omni temporis intervallo*, exceptura sint. Θλίψ autem ἐνείν, quam signa, de quibus agitur, sequentur, non solam vel Judæa depopulationem vel Hierosolymorum eversionem, sed potius *complexum omnium eorum malorum*, significat, quibus homines tum *corporaliter*, tum *spiritualiter*, tum *politice*, tum *Ecclesiastice*, afflictum iri, Liberator noster ante docuerat. Docuerat autem, non solum Hierosolymas ^a Romanis occupandas, & a gentibus calcandas; sed & cœtum divinorum a Pseudo-Christis, & falsis Prophe-tis, horribiliter infestandum esse. Horum omnium igitur complexus Θλίψις ἐνείν nomine h. I. significatur. Sed jam queritur: quoisque ἐνείν, utriusque geris, Θλίψ durare debuerit? Numne intra γενεας; vel ætatis illius, i. e. ut *Kenigsmannus* explicat, *quinquaginta*

ginta annorum spatiū, omnia ista finienda erant? Non
sane. Sed prior, seu *politica*, Judæorum Θλίψις, Lucæ
duratura esse dicitur, usque dum οἱ καυροὶ τῶν ἐθνῶν fue-
rint completi, id est, ad finem mundi, ut supra ostendi-
mus: *Poſterior*, seu *Ecclesiastica*, quoad spiritualis Domini
adventus per regnum gratiæ, de quo *Matthæi XXIV, 12.*
14. 23. 24. sq. agitur, durabit, adeoque per omnia se *ul-
tima tempora* diffundet, ut Apostoli *1. Tim. IV, 1. 2. Tim.
III, 1. 2. Pet. II, 1. III, 3. Jude c. 18.* testantur. Tantum
igitur abest, ut τὸ ἐνθέως interpretationi nostræ con-
trarietur, ut etiam eandem non mediocriter juvet. Do-
cet enim Servator, inter utramque Θλίψην ἐκείνην, & si-
gna ultimi adventus Domini non regnum quoddam
Chiliasticum (cujus forsitan gratia hæc omnia tam opero-
se a Kœnigsmanno, & aliis, disputantur,) cum recupera-
tione Hierosolymorum a Judæis, debellatione gentium,
& immunitate ab omnibus hæresibus, & scandalis, con-
junctum, intercalandum esse, sed potius eandem illam
utramque Θλίψιν cum signis, ultimum diem præcessu-
ris, ita connexum iri, ut hæc ad illam ἐνθέως, seu pro-
cul omni mora interposta, sequantur. *Simulac enim Θλίψις*
definet, signa ultimi diei evenient. *Utraque vero Θλίψις non,*
nisi cum signis interituri mundi, definet. *Ergo nec signa*
illa, nisi sub finem mundi, evenient, eudemque immedieate
præcedent.

Atque hæc procul dubio causa est, ob quam *5) Mar-*
*cus c. XIII. pro illo Matthæi: μετὰ τὴν Θλίψιν τῶν ἡμέ-
ρων ἐκείνων*, scripsit: *ἐν ἐκείνους τοῖς ἡμέραις, μετὰ τὴν*
Θλίψιν ἐκείνην, Solem & Lunam obscuratum iri. Nec
enim id sibi vult *Marcus*, *eodem prorsus tempore*, quo priora
evenierint, ac tempore, post quod aliud adhuc erit, & in
quo utraque continuabitur Θλίψις, ea, quæ de obscura-
tione Solis, adventu Christi, & Electorum congregatio-

66 QVOD TEXTUS EVANGEL. DOMIN. II. ADV.

ne prædictit, eventura esse, quod τῷ δὲνα persvasum est, sed tantummodo innuit, non mutatum iri statum Ecclesiæ inde ab excidio Hierosolymorum, usque ad finem universi: quin potius totum illum temporis tractum pro novissimis, & ultimis temporibus, reputari debere. a) Formula igitur, in diebus illis, non ævum Mosaicum, quo adhuc durante, Pontificatus aboleri, Respublica everti debeat, includit, sed ævum quoddam, inter Messianum, & inter mundi finem, interjectum, excludit, & hoc perspicue arguit, obscurationem solis, & reliqua, in novissimis temporibus, & non in aliis, eventura esse.

5) Τὰ νῦν, quo Lucas textum nostrum cum antecedentibus connectit, non est, cur offendat quenquam. Nec enim haec vocula semper vim copulandi, sed aliquando etiam sejungendi & adversandi, habet, & τῷ ἀλλᾳ respondeat, utpote Matth. XI, 17. XII, 43. XVI, 4. XVII, 12. Act. X, 28. 1. Thess. I, 18. 2. Thess. I, 7. II, 8. & alias. Quam eandem sejungendi vim τὸ νῦν hoc etiam in loco habere, tanto minus dubitare fas est, quod & Mattheus pro eodem τῷ δὲ, & Marcus τῷ ἀλλᾳ, in connectendo sermone, adhibuerunt. Falluntur igitur, qui ex hac una particula, Christum non a prædictione judicii particularis contra Judæos ad denunciationem judicii universalis transisse, sed potius historicam de excidio U.H. narrationem continuasse, inferre sustinent.

Dixeris: vero minime simile videtur, Lucam, ὁ ἐπίστολον Scriptorem, plura de Christi ad questionem responsione, quam de discipulorum questione, tradere voluisse. Atqui apud Lucam in questione Apostolorum nullam fieri mentionem de interitu mundi: Ergo nec Christi responsionem, ab eodem relatam, eum ad interitum oportere extendi.

Sufficit autem i) quod Mattheus, juxta & Marcus, placet

a) Conf. G. Calixtus de extr. judic. p. 94. & alias.

nus quæstionem exponunt, e quibus, si quid in *Luca*, cuius *anǣBeia* salva reliquorum Evangelistarum auctoritate intelligi debet, defuerit, facile poterit suppleri. Quod nisi liceret, in conficiendis Evangelistarum harmoniis Doctores nostri frustra elaborassent. 2) Non insolens est Evangelistis, & sigillatum *Lucæ*, *responsiones Christi*, *tacitis questionibus*, *afferre*. Quæstionem enim Apostolorum: quisnam maximus esset in regno cœlorum? unus *Matthæus* c. *XIX*, 1. exhibit: ceteri responsionem, perinde ut *Matheus*, commemorant, sed quæstionem omittunt. *Marci IX*, 33. 34. *sq.* *Luc. IX*, 46. *sq.* Quid igitur mirum, si *Lucas* hoc etiam in loco nonnulla quæstionis Apostolice preteriit, & ea, quæ in response Servatoris ad finem mundi, & signa, hunc præcessura, spectant, non ut partem responseis ad quæstionem Apostolicam, sed ut prædictionem Domini *absolutam*, cum gravi admonitione conjunctam, commemoravit?

§. III. Sunt, qui reddituri causam, ob quam recepta in explicatione textus Evangelici acquiescere nequeant, id maxime urgent: *Scribere Matthæum*, sub illum *Christi adventum stellas casuras esse in terram*. Cum vero Astronomi doceant, *stellas multoties terra majores esse*, imo, *juxta Hevelii hypothesis*, vel *minimæ apparenœ stella*, *aliquoties mille vicibus superet magnitudinem terre*, *sponte sequi*, *hæc verba nec proprie*, *nec de ruina universi hujus*, *accipi posse*.

Verum hic scrupulus, quem *Sandius*, homo Arianus, *Calovio* teste, a) suis in *paradoxis*, animis hominum pridem injectit, facile exinetur, si cogitemus, nondum ab Astronomis satis ostensum esse, etiam *minimæ apparenœ stellas*, orbem terrarum magnitudine sua toties ex-

I 2 cedere.

a) Bibl. Illustr. T. I. N. T. f. 421.

cedere. Saltem non videntur esse de nihilo, rationes dubitandi, quas harum quoque rerum non imperitus Theologus, *Celeberr. V. E. Læscherus*, suæ Cosmo-theoriaræ Sacræ inseruit. a) Demus autem, stellas, etiam fixas, tantæ magnitudinis esse: num absolute necessarium est, ut, quæ stellæ *de cælo* decidunt, cadant etiam *in terram*? Annon *cælo* exemptæ, ac delapsæ, *antequam terram contingant*, more ignium fatuorum, vel aliorum Φαινομένων, evanescere possunt *in aëre*, vel, pro ratione subtilioris, & igneæ materiae sue, postquam signi officio perfunctæ fuerunt, divinam per potentiam *extingui*? Saltem hæc nihil absconi continere, fatebuntur omnes. Denique si vel maxime ratio nostra talia capere non possit, num ejus in gratiam litera deserit deberet? Sane ex verbis Christi apparet, eum singulare quid, & antea non visum, indicare voluisse. Apostasiæ vero docentium, mutationes imperiorum, vexationes piorum, quas quidem per signa in Sole, ac Luna, & lapsum stellarum, significari putant Dissidentes, nullo non tempore frequentes fuerunt. Non illibenter igitur, *Chrysostomo*, *Eusebymoque*, assentior, qui, stellas vere casuras esse, statuant. *Magis enim Christo id affirmanti, quam Aristotelii*, vel alii etiam, neganti, fieri posse, credendum est, ut recte judicat *Maldonatus*. b)

Vereor, ne quis huic sententiae obvertat, *sidera cælo eximi, & in terram delabi, procul orbis universi ruina non posse*. Cur ergo dicatur, *cadentibus stellis homines exanimatum iri, metu rerum futurarum, i. e. totius mundi ruinæ*? Si enim decadunt stelle, jam adesse ruinam: si vero adsit; non demum metuendam esse. Sed enim male hic, tanquam necessario

a) Vid. *Unsch. N. ad Ann. 1711. p. 445. sq.* b) in *Comment. ad Matth. f. 503.*

cessario concedendum, præstruitur, casum stellarum ipsius ruinæ mundi partem esse. *Signa enim, & prodromi ruinæ*, cum *ruina ipsa confundi non debent*. Casus vero stellarum imminentem mundi ruinam significat: ipsam mundi conflagrationem nec attrahit, nec ingreditur. Poteſt igitur cum metu, & expectatione rerum futurarum confiſtere. Quin & Adventus ipſe, utut in ſe ruinam mundi non involvat, rigorosi tamen judicii, examinis, reprobationis, æternaque afflictionis metum, non excludit. Qua diſtinzione iis ſimul occurrit, qui objiciunt, hoc pacto interitum mundi ante extre-um judicium collocari, quoniam caſus stellarum de cœlo ante Christi Judicis adventum a Matthæo ponatur. Quia enim caſum stellarum non ad ipsum universi hujus interium, ſed ad signa eundem præceſſura, referimus, fieri non potheſt, quin signa adventum præceſſura, adventus ipſe, extre-um judicium, & finis universi, juſto ſe or- dine excipient mutuo, ac ſequantur.

§. IV. Nonnulli ad oſtendendum, quod Christus in textu controverſo de adventu ſuo reali, & inviſibili, contra Iudæos, egerit, inde quoque videntur ſibi argu-mentum petere poſſe, quod Matthæus τότε τὸ σημεῖον τὰ ὑπάνθρωπα in cœlo apparitum ſcribat, cujuſ-modi ſignum de *Astro Iudeis ominoso*, quod gladii forma-tum temporis apparuiffe legitur, omnium commodiſſime capiatur.

Etsi vero Hierosolymorum, ac Reipublicæ Judaicæ eversionem aliqua signa, etiam divinitus data, præceſſife, horumque in numerum etiam ferale illud ſidus, quod totum ante annum urbi exitium minatum fuit, re-ferri oportere, non nego; quia tamen 1) iſta perſuaſio, quod hoc ipsum ſidus *ſignum filii hominis* Matthæo nomi-netur, illa in hypothefi, quod in toto illo *Capite XXIV.*

de excidio urbis, non interitu Orbis, agatur, innititur, facile appareat, destrcta validis argumentis hypothesi, (quod quidem huic factum esse confidimus,) hoc etiam, quod ei superstructum erat, consistere non posse. Addimus tamen 2) signum hoc procul dubio signum *Fili hominis* ideo dici, quod ad hunc proprius spectet, eique suo modo sit *proprium*. Sed enim, praeunte Scriptura, judicium contra Iudeos exercitum, cuius signum Cometes ille feralis fuit, Deo *Patri* potius, quam *Filio*, est tribuendum. *Matthæi* enīm *XXI*, 40. 41. perditio τῶν γεωγρῶν non *Filio*, sed *Patrifamilias*, & domino vineæ, *Capite* autem *XXII*, 7. ἀπόλεια τῶν Φωνῶν, *Regi*, non *Regis Filio*, adscribitur. Quam utramque parabolam in se dictam a Servatore fuisse, Proceres Iudeorum, sua pro sagacitate, ipsi subodorabantur, *Matth.* *XXI*, 5. Signum igitur adventus contra Iudeos judicarii *Patri potius*, quam *Filio*, vindicandum fuisset, si quidem hoc loco de adventu quodam *reali* contra Iudeos, ageretur. Quapropter uti 3) hunc textum de adventu Christi non *reali*, sed *personalis*, accipiendum esse, perswasissimum habemus; ita per σημέιον τῇ ὑδε τῇ ἀνθεώπῃ huiusmodi signum est intelligendum, quod ipse dedit Filius hominis, ab eoque profectum est, & ei, tanquam causæ, debetur. Ecquod vero illud est? Respondetur, *corpus visibile*, sub quo *sese conspiciendum exhibebit* in celo. Ut enim *Matth.* *XII*, 39. σημέιον τῇ Ιωνᾷ, est ipse Propheta Jonas, *quatenus per suam in ventre ceti irriduanam commemorationem triduo mortis Christi prælufit*: & *Apoc.* *XII*, 1. σημέιον, quod apparuit in celo, est ipsa feminina, cuius conditio statum & conditionem Ecclesiæ adumbrare debebat; ita hoc loco σημέιον Filii hominis nihil aliud notat, quam ipsum *Filium hominis*, *quatenus visibilem quasi formam induit*, *videndumque se præbuit in celo*. Unde

de non modo *Mattheus* verbis istis: Apparitum esse signum Filii hominis in cælo, in continenti subjicit: *& tunc videbunt Filium hominis*; sed & *Marcus* & *Lucas*, Filium hominis apparitum esse, simpliciter docent, nulla τὸ σημεῖον mentione injecta. Quo ipso insinuant, per σημεῖον Filii hominis nihil aliud, quam ipsam filii visibilem formam, vel Filium hominis visibiliter apparen-tem, intelligi oportere. Cui quidem opinioni hoc te-nacius inhaererim, quod profanis etiam Scriptoribus τὸ σημεῖον, pro τῷ σημεῖῳ non raro adhiberi, & ima-ginem significare, constat.

§. V. Sequitur, ut ad illud respondeam, in contro-verso textu nullam fieri mentionem resuscitationis mortuorum. Quod pugnet cum indeole doctrinae de novissimis. Matthæum præterea docere, Angelos collecturos esse omnes Electos ab uno summo cælo ad alterum. Quod ipsum ad extremum judicium accommodari non possit, quippe in quo non soli Electi, sed omnes gentes colligendæ esse dicantur, *Matth. XXV, 32*. Facile igitur apparere, quod *Electorum* nomi-ne, vel soli *Iudei*, ad fidem in Christum adducti, vel quotquot *vocationi* divinae per Apostolos inter gentes ob-temperarint, venire debeant.

Ast, quæ nos ratio impellat, ut, quæ largissime, la-xissimeque, a Christo pronuntiata sunt, ad unum, so-lumque populum Judaicum restringamus? Neque et-iām *vocati* omnes, vere licet credentes, cum *Electis* fue-rant confundendi, quod subinde contra *Grotium* obser-vavit *Calovius*, ὁ πάπας. Resurrectionis mortuorum quod h. l. explicita non sit mentio, non debet pertur-barre quenquam. Quia enim non, nisi resuscitati, colligi possunt, *resuscitatio in ipsa collectione involvitur*. Nec enim moris est in Scriptura, ut, ubi de uno in novissimis agi-tur, de reliquis simul exponatur. Non placet, char-tas

tas absumere exemplis. Unum prodeat, quod instar omnium esse poterit. Locum *Matth. XXV*, 30. *sq.* de extremo judicio accipi oportere, nemo huicdum insulsissimorum etiam fanaticorum, negare ausus est. Quid autem in eodem de resuscitatione mortuorum extat? Imo simpliciter dicitur: *Quoniam venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, τότε συνεχθήσονται ἐμπρόθεν αὐτοῖς πάντα τὰ ἔθνη.* Uti ergo in sede hujus doctrinæ præcipua, *congregationis* omnium gentium nomine, *resuscitatio* mortuorum includitur; sic etiam eadem formula, *Matthiei XXIV*, 31. ubi de extremo judicio agitur, connotatur.

§. VI. Illud vero parum roboris habet, quod quia *Marci XIII*, 29. regnum Dei, ubi Filius hominis adveniret, ἐγγὺς, καὶ ἐπὶ θύραι futurum esse dicitur, inferunt, ultimum Christi adventum h. l. intelligi non posse, quia hoc eveniente, *non proxime abfuturum*, sed *prorsus aſſutum sit regnum Dei*. Quando enim Evangelista dicit: ὅταν ἴδητε ταῦτα γίνομεν, *signa*, de quibus exposuerat, respicit, quibus evenientibus, utique poterit cognosci, non quidem *omnino adesse*, præ foribus tamen esse regnum Dei, nobis præparatum in ecclis.

§. VII. Nec est, cur quenquam nostra de sententia dimoveat, quod verba *Lucae: His incipientibus fieri, tolite capita vestra, quoniam vestra redemptio appropinquat*, de Apostolis, extremoque judicio, *intelligi vix posse videantur*, propterea, *quod eorundem nemo extrema diei tempus attingerit*. Unde adeo talis intelligi h. l. ἀπολύτρωσις debeat, qua tum præsentes Apostoli gaudere potuerint.

Sed enim Scriptura de novissimis perpetuo ita disputat, ut nullo non temporis puncto, & nulli non mortuum, eundem expectandum esse, insinuet. Nam & Paulus

Paulus i. Cor. XV, 51. 52. & i. Thess. IV, 15. se ipsum inter eos, quos dies extremus vivos deprehensurus sit, ea que de causa immutandi sint, numerat, & Thessalonicenses, i. Thess. IV, 25. & V, 2. velut qui ad extremum diem vivendo sint perventuri, alloquitur. Quia de re non male G. Calixtus: Non equidem, inquit, existimabat Apostolus, se, aliosque, qui tum viverent, ad extremum usque diem supersuturos: Per Enallagen tamen personarum de se, & ceteris, tanquam superfuturis, loquitur, ut admoneat, propter incertitudinem temporis singulos nostrum ita debere esse comparatos, ac si quovis momento Dominus ad judicium esset affuturus. a) Tum vero non ἀπολύτρωσις qualiscunque, sed plenaria, totalis, & numeris omnibus absoluta, hoc loco inuitur. Talis vero Apostolis hoc in mundo expectanda non erat, quippe quibus, perinde, ut nobis, permultas tribulationes ingrediendum erat in regnum cœlorum. Act. XIV, 22. & Jo. XVI, 36. Sub Apostolorum igitur personis Servator omnes instituit, & quæ illis dixit, omnibus dixit, Marci XIII, 37. sive de cetero ad finem usque mundi vixerint, sive non vixerint, dummodo beatam illam ἀπολύτρωσιν habeant expectare.

§. II X. At, inquires, hoc pacto sequetur, *Resuscitatiō pīos attendere debere ad signa, & alia, extremum diem antecessura, quīm tamen resuscitatiō nīs in extremo die, & cum extremo die, non sit eventura.*

Verum respondetūr, eos attendere debere ad signa, & ἀπολύτρωσιν expectare, qui attendere, ac expectare, possunt. Nemo autem poterit, nisi pii, iidemque non jam resuscitati, nedum resuscitandi, sed, quos dies novissimus vivos deprehendet, adeoque immutandi. Cur vero Apostoli quoque h. I. attollere capita jubeantur, causa modo fuit exposita.

K

§. IX.

a) Vid. L. de extr. jud. p. 94.

¶ IX. Jam illud discutiendum restat, quod unum omnium maxime a Dissentientibus urgetur, Dominum nempe ista omnia, durante adhuc illa generatione, eventura dixisse *Matth. XXIV, 34. Marci XIII, 30. Luc. XXI, 32.* *Iesus* autem, etatem Judæorum, tum viventium, tum præsentium, notare, adeoque his verbis: *Amen, amen dico vobis, non præteribit ἵνα γένεται ἡ ἡμέρα, quam hæc omnia eveniant, id sibi velle Dominum, quod intra hominis tum viventis etatem, hoc est, intra annos 40. vel 50. illa omnia, quæ denunciavit Iudeus, certo sint eventura.* Sed hoc pacto aliquid profertur, quod a Viris Græcæ literaturæ peritis minime expectaram. Etsi enim non nesciam, *γένεται* Græcis aliquando *etatem hominis* significare, hoc tamen falsum, utut multis persvasum, est, hanc significandi rationem *receptissimam*, ac tantum non *communissimam* esse. Multo enim frequentius, *natione, familia, genere hominum*, quam *hominis* alicujus *etate*, accipi, largientur mihi, opinor, qui divinarum, humanarumque literarum, non omnino sunt imperiti. In Scripturis saltem aliter, quam pro *certo genere hominum* vix accipitur, quod docent loca, *Matth. XI, 16. XII, 39. 41. sq. XVI, 4. XVII, 17. Marci VIII, 12. 13. Luc. VII, 31. IX, 41. XI, 29.* nec ratio appetet, cur genus, & mores hominum his in locis ad certum temporis ambitum restrin gere debeamus.

Si tamen in textu nostro vox *γένεται pro temporis, & annorum ambitu*, omnino sumenda sit, tum *opus erit*, ut termini ejus, quicquid hic obnuntiet Dissentiens, pressius definiantur. Definiri autem certius, quam sententia eorum, qui de vocum Græcarum, tum aliarum, tum hujus sigillatim, significationibus ex instituto tradiderunt, vix poterunt. Quia enim Apostoli Græce scripserunt, Græcæ quoque literaturæ indolem, & usum vocum receptum

ceptum tenuisse illos, dubitari non potest. Docuit autem iam pridem commentatus ad *Homerum* a) *Eustathius*, γενέας tempus XXX. annis includi. Si cui unam γενέαν seculi ambitu, quasi παρχυλώς, circumscribere placeat, per *Dissentientem* licet. Sed per *Herodotum*, ortu Græcum, & Scriptorem Græcum, non licet. Hic enim in *Euterpe* concebris verbis scribit: Τρεις γενέας αὐδρῶν ἐκατον τέσσαρι, tres generationes virorum centum anni sunt. b) Nævio igitur *Nestor* apud Gellium, *Triseclisenex* nominatur, non, quod per tria secula, sed ter triginta, seu XC. annos, vixerit. Si enim trecentorum annorum senex is fuisset, *Homerus* ei, procul dubio, *deliria* potius, quam *senilem prudentiam* fuerat tributurus. Adstipulatur etiam *Plutarchus*, c) gravis scriptor, & mihi in deliciis habitus, qui γενέαν hominis vegeti, ac vigentis, (tales vero erant, qui tum temporis Christo adstabant,) XXX. annis circumscribit, addita mox ratione, quia jam Pater esse posset homo annos triginta natus. Quo ipso tacite illos erroris arguit, qui γενέαν confoeta hominum ætate, quam *Seniores attingere ut plurimum soleant*, metiuntur. Imo vero fuerunt, qui γενέαν VII. annis includerent, quasi ἡλικίαν, unde & Medici Veterum ante secundam γενέαν, id est, annum ætatis quartum & decimum, sanguinem mittere prohibuerunt, ut *Suidas* d) testatur. Utuncque istud se habeat, id certum est, γενέαν, pro indeole Græci sermonis, non nisi spatiū vel VII. vel omnino XXX. annorum continere. Intra hoc vero ista omnia, quæ Christus h. l. Judæis denuntiavit evenisse, tum narrationi *Josephi*, tum ipsorum *Dissentientium* opinioni, repugnat, qui a tempore vaticinii Christi, usque ad excidium Ur-

K. 2197. B. 200. T. 1. fol. 144. b)

a) Iliad. γ. b) Cap. CXLII. fol. 144. edit. Wechel. c) de def. Orac. T. II. O. O. f. 415. edit. Wechel. d) in Lex. voce γενέα.

bis, quinquaginta nondum annos præterlapsos esse fatentur. a) *Josephus*, b) postquam de Albini, & Flori, Præsidum Judææ, superbo, & crudeli imperio exposuerat, τὸ σπέρματα, inquit, τῆς μελέσης ἀλώσεως NB ἐν τῷ τῷ πόλει κατεβαῖλλετο: semina futurae captivitatis NB ab illo tempore spargebantur. Si semina calamitatis demum post Flori tempora sunt sparsa, pacem ad ea usque utcunque durasse oportuit. Tacito teste, *duravit patientia*, & cum patientia pax, quietusque Reipublicæ status, *Judeis, usque ad Geffium Florum, Procuratorem Judeæ. c)* Sub hoc demum *bellum*, & ex bello excidium, ortum est. Quod tempus, ut in ultimum prope Neroniani imperii annum, Christi vero LXVII. incidit; sic illud perspicuum est, integrum γενεὰν, vel solidos triginta annos, inde a vaticinatione Christi de excidio Hierosolymorum, præteriisse, antequam Judæi bellum, nedum interitum, patrentur. Et quoniam γενεὰν illam Christus præteritaram esse negat, usque dum ταῦτα NB πάντα eveniant, ea nempe, quæ de *Pseudo-Christis*, & *Pseudo-Prophetis*, & protritione *Hierosolymorum a gentibus*, & *carnali securitate*, & aliis id genus, prædixerat, sequeretur, post γενεὰν illam nec *Pseudo-Christos*, nec *Pseudo-Prophetas* ori-ri, nec *Hierosolymas a gentibus proteri*, nec *securitatem Epicuream ab hominibus concipi debuisse*, quæ omnia cum veritate, & rerum gestarum monumentis pugnare, est in propatulo. Summatim ergo sic infero: *Si γενεὰ h. l. etatem viri, & definitum annorum numerum, significat, sequitur, quod ταῦτα πάντα, quæ intra τὴν γενεὰν evenire debuerant, intra XXX annos evenerint. Posteriorius est falsum: Ergo & prius.* Proprius ad veritatem accedunt, qui per ταῦτην τὴν

a.) Koenigsmann. I. c. §. 15. p. 43. b.) Josephus L. II. de B. Jūd. c. XIII. f. 798. c.) Hist. L. V. 10.

τὸν γενεὰν, vel *nationem*, ac gentem Judaicam, vel *cætum Electorum*, ac fidelium, quem Dominus his verbis usque ad interitum hujus universi duraturum esse insinuet, intelligunt. Quam posteriorem cum primis sententiam si sequamur, tum non erit difficile, removere illud, quod a quibusdam Dissidentibus obstare existimat. *Absolum*, nempe, *videri*, ex *Judaicæ gentis perseverantia ad diem usque ultimum, diem ipsum mundi prælinum, seu ipsius diei novissimæ veritatem stabilire velle.* Nam quum in assertorum dictorumve ante confirmatione occupatum esse Christum asseveratio foriSSima plane edoceat; perinde esse, si ex Judeorum eo usque perdurance ultimus dies probetur; quam si confirmationis gratia assertum quis suum de morte alterius, certo imminentे, comprobare contenderet, ex ejus ad mortem usque duratione, b. e. obscurum, per æque obscurum.

At vero si evitanda sunt absonta, quod fieri oportere non nego, tum illa quoque fuerint evitanda, quod *signa Christi adventuri adventum ipsum sequantur*: quod Christus diem excidii Hierosolymitani nescierit: quod cœtus Christianorum, per eversionem Reipubl. Judææ, ab omni miseria fuerit liberatus: quod imminens Judæis periculum vigilantia, precibus, ac sobrietate, declinari potuerit: quod Apostoli ad diem excidii Hierosolymitani coram Christo judice apparere debuerint, aliaque id genus. Hæc enim omnia e Dissidentium opinionē lato, plenoque alveo fluere, negari vix poterit. Nostræ vero sententiæ nullum imminet ab absurdis periculum, si vel maxime per *τὸν γενεὰν* impia Judeorum natio intelligatur. Nam si *absolum* est, a Judaicæ gentis ad diem usque ultimum perseverantia diem ipsum mundi postremum, seu ipsius diei novissimæ veritatem stabilire, cur ex eorum hominum, qui tum Christo adherant, & sigillatim Joannis Apostoli, usque ad excidium Urbis Hieros. perseveranti duratione, certitudo excidii, & reliquorum illud comitantium malorum, ab ipsis

Dissentientibus infertur? Annon hoc pacto suo se gladio jugulant, quando nihil recepte textus interpretationi ab ipsis opponitur, quod non retorqueri eorundem in opinionem possit? Imo, ni vehementer fallor, interpres nostri e gentis Judaicæ ad extreum usque diem perseverantia non hujus certitudinem, sed *a statis future messem* uberrimam inferunt. Nec enim, in proxime præcedentibus, de signis visibilibus sui ad judicium adventus; sed *de collectione Electorum*, e IV. mundi partibus, & *præsentia astatis*, Dominus exposuerat, quod e *Matri. XXIV. comm. 31.* constat. Id ergo docere vult Liberator Noster, a πανολεθρῷ civili, non oportere concludi ad πανολεθρίαν spiritualem, sed, etiam si plerique de gente Judaica pereant, nihilominus ex eadem, tempore præcedente, collectum iri ad Ecclesiam, & in fine mundi colligendos esse per Angelos, qui ad *astatem* vitæ æternæ perveniant. Cui sententiae quid absonum insit, non video.

At, inquias, quomodo signum esse poterit *demolitionis*, sive templi, sive Orbis, instantis, constans ad finem usque mundi Judaicæ gentis conservatio; quum illius conflagrationem diutissime secuta sit, hujus autem finis cum illius durationis termino prorsus coincidat? Nonne idem sui ipsius, & imminentis fati adversi, ipse tristis eventus signum fingeretur? Sed enim, qui nostratum gentis Judaicæ ad finem usque mundi conservationem pro signo *demolitionis*, sive templi, sive Orbis instantis, habuerit, scio neminem. Id scio, esse, qui pro absonis habeant, opinari, quod Christus a simplici, planoque genere dicendi, ad nescio quam grandiloquentiam, Prophetis usitatam, transferret, vel post *demolitionem* iam factam, dilucideque descriptam, demum *signa demolitionis future*, vel instantis, edisseruerit.

Interim non dissimulo, per γενέαν τούτην ceterum fideli-
um & *Electorum* multo, quam nationem Judaicam, com-
modius, intelligi posse. Dixerat enim Dominus in pro-
xime præcedentibus, *electos* in illo die *collectum*, & ad *asta-*
tem

tem aeterna felicitatis introducuntur, per Angelos, *Marci XIII,*
 22. Idem vero paulo ante *comm. 22.* prædixerat & hoc, oratu-
 rios esse Pseudo-Chrīstos, & Pseudo-Prophetas, a quibus in
 errorem abducantur, si fieri posse, etiam Electi. Quod ipsum
 quoniam auscultantibus metum injicere videbatur, ac se
 die illo vix inventuri sunt Angeli electos, quos colligant, hinc Do-
 minus magna cum asseveratione confirmat, non esse, cur
 omnes omnino electos, & vere, solideque, pios, extinctum
 iri, existimant. Amen, amen dico vobis, inquit, non pre-
 teribit generatio hæc, nempe fidelium, ac electorum, usque
 dum haec omnia facta fuerint. Quapropter, si quid divinan-
 do assequi possum, cum singulari quodam Servatoris ge-
 stu, haec verba ab eodem prolatæ sunt, ita, ut tum Apostolos
 adstantes, tum LXX, discipulos, tum sanctissimas, quæ il-
 lum inde a Galilæa comitatæ fuerant, feminas, *Marci XV, 39.*
 40. *Luc. XXIII, 27.* digito indice ostenderit, his verbis: *αὐτὴν*
νῦν γένεται, sic tamen, ut eosdem non ratione sui, & quatenus
 aderant, sed fidei, & quatenus credebant, spectaverit, eoque
 ipso quendam fidelium, & Electorum, utut pertenuent
 cætum, ad finem usque mundi duraturum esse, docuerit.
 Ad stipulatur nobis Chrysostomi Epitomastes, *Theophylac-*
tus: Generationem, inquit, vocat non eos, qui tunc aderant, sed o-
mnia fidelium generationem. Solet enim Scriptura genera-
nem hoc nominare modo, ut, hæc est generatio querentium Domi-
nūm. Quia autem turbationes, & bella, & alterationes dixit fu-
turas, tam elementorum, quam rerum, ut ne quis suspicetur, quod
forte aliquando destruendus sit Christianismus, dicit, non: Cæ-
lum & terra transibunt. &c. Quæ interpretatio, uti e visce-
 ribus textus eruta, cum scopo docentis Christi, & reliquo
 contextu, locisque parallelis, & fidei analogia, egregie
 consentit; sic, pace Dissidentium, in eadem acquiescam
 tamdiu, donec speciosior, ac solidior, ab aliis afferatur.

§. X. Ad extremum illud a quibusdam sententiae rece-
 ptæ obvertitur: *Christum b. l. jubre Apostolos, darent operam,*
ut effugerent ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, quæ ipsa de-
 finit.

supremo, censorioque die intelligi non possint, quoniam in eodem futura effugere nemo possit. *Act. XVII, 30. 31. 2. Cor. V, 10.* Et quoniam durante adhuc illa generatione eventura dicantur, necessario ea, de quibus Christus c. 7. locutus, & ab Apostolis interrogatus fuerit, id est, calamitates Iudaicas, per τὰ μέλλοντα significari.

Sed enim 1) hujusmodi futura h. l. intelligit Servator, quae μετὰ τὴν θλίψιν ἐκέννη, partim *politicalam*, a Romanis, partim *Ecclesiasticam* a Pseudo-Prophetis, expectandam, sint eventura. Calamitates vero Judæorum, & sigillatum Urbis, Templique, excidium, θλίψιν illam constituere, ac *ingredi*, saltem *præcedere*, non autem *sequi* debebant. Nulla ergo probabilitatis specie, h. l. per τὰ μέλλοντα, quæ Apostoli effugere jubentur, intelligi possunt. 2) Tum vero nec illud largiri possumus, in extremo die non futurum esse quicquam, homines quod effugere queant. Etsi enim nihil tunc effugere poterunt, *mutatione loci*, quoniam ubique deprehendent præsentissimum judicem, effugere tamen poterunt nonnulla, quæ antecedunt *conditionem morum*. Evitare poterunt *fallacias Pseudo-Christorum, & Pseudo-Prophetarum: anxietatem cordis, metumque, ac trepidationem ob res futuras*. Nec enim erit, ejus ob adventum cur trepident, quem non, nisi ad sui αἴπολύτρωση, affuturum norunt. Denique, ut brevis sim, pii, & vigilantes, ea omnia poterunt evitare, *quibus effici potest, ut coram hominis Filio consistere non possint*. De quibus præclare, ut solet, *Theophylactus*: Τὰ μέλλοντα, inquit, τοῖς ἀμαζελῶλοις αἰωνίως συμβάντεσθαι: ὅ μη δυνάμεθε ἐν Φυγῇ, εἰ μὴ δ' ἀγρυπνίας, καὶ προσευχῆς. a) Hæc illa sunt πάντα, quæ effugere Dominus nos jubet, quæque sigillatum indicat, dicendo: λῦται πάντα. His enim verbis non vult nos ad remotius dicta cc. 6. 7. sq. quod Dissidenti per-
fusatum est, retrahere, sed ad ea, quæ proxime v. 25. 26.
denunciaverat, *allegare*.

a) *Theophylact. in Comment. ad Luc. Cap. XXI, f. m. 508, edit. Paris,*

T A N T U M.

EO-Beg. 2002

01 A 6729

Retro

Th. 4



29

Q. D. B. V!
TEXTVM EVANGELICVM
DOM. II. ADVENT.
ex Luc. XXI, 25. seq. coll. Matth. XXIV, 29. seq.
Marc. XLI, 24. seq.

DE
ADVENTV CHRISTI
VLTIMO
ACCIPIENDVM ESSE
PRAESIDE
GOTTLIEB VVERNSDORFIO
SS. TH. DOCT. ET PROF. PVBL. TEMPLI OO. SS. PRAEPOSITO
ET SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSORE
DOMINO, PATRONO, PRAECEPTORE, STVDIORVM MOVE SVORVM PROMOTORE
AD CINERES VSQUE COLENDO
IN ACADEMIA VITTEMBERGENSI
POSTR. ID. OCT. A. R. S. CI^o ICCC XIV.
IDONEIS RATIONIBVS CONFIRMABIT
M. CASPAR IVLIVS WVNDERLICH
HAMBVRGENSIS.
EDITIO SECUNDA.

VITEMBERGAE, LITERIS GERBESIANIS.